



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In Qua Tractatur De Contractu Et Sacramento Matrimonii

Bosco, Jean a

Lovanii, 1678

Sectio III. De Contractu Matrimonii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73432)

SECTIO TERTIA.

DE CONTRACTU MATRIMONII.

Scotus 4. dist. 26. q. un. num. 16. distinguit inter Matrimonium, contractum Matrimonii, & Sacramentum Matrimonii, dicens: De quinta Concluf. que applicat significata ad voces, dico; quod aliud est Matrimonium, & aliud contractus Matrimonii, & aliud Sacramentum Matrimonii..... Et patet distinctio istorum per se; primum enim est permanens in animabus conjugum, & est relatio tantum realis extrinsecus adveniens: vel, quod verius videtur, relatio rationis; quia nihil est ibi, nisi dominium novum, & nova servitus per novam commutationem, quod dominium tale, vel servitus, nihil reale ponit in domino, vel servo.

Secundum etiam tantum est in fieri, & est actio vel passio interior vel exterior: vel magis constans ex actibus interioribus & exterioribus duarum personarum; & habet se istud ad Matrimonium primo modo dictum, sicut causa in fieri, quemadmodum generatio ad paternitatem: vel magis, sicut baptizati, vel ordinati ad characterem.

Tertium autem similiter est in fieri, & simul est, & non est cum primo, & ideo non semper manet cum secundo. Nec oportet dicere, quod hoc nomen, Matrimonium, sit æquivozum ad ista tria; immo quod tantum significet primum, & pro aliis duobus accipiat in obliquo, significans illa, ut pro secundo dicatur contractus Matrimonii, & pro tertio Sacramentum Matrimonii, ubi non est constructio intransitiva, sed transitiva. Si autem omnino contendat, quod hoc nomen, Matrimonium, significet illa tria, non erit contentio de nomine, quia hoc erit æquivoce. Hæc Doct. Subt.

Et prosequitur, dicens: Possunt autem hæc tria sic describi: Matrimonium est vinculum indissolubile inter marem & feminam, ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta, pro usu perpetuo ad procreandam prolem, debite educandam. Secundum sic: Contractus Matrimonii, est maris & femine mutua translatio corporum suorum, pro usu perpetuo ad procreandam prolem, debite educandam.

Sacramentum Matrimonii, est expressio certorum verborum maris & femine, ad se invicem significantium traditionem mutue potestatis corporum, ad prolem debite procreandam, ex institutione divina efficaciter significans gratiam conferendam mutuo contrahentibus, ad conjunctionem mutuum animorum gratiosam. Vel si verba certa non sunt præcisè forma hujus Sacramenti, nec etiam con-

trahentes sint præcisè ministri, ponatur in principio, loco illius: Expressio certorum verborum, Exhibitio certorum signorum maris & femine, vel aliquid generalius, significans traditionem mutuum potestatis corporum maris & femine, ad prolem debite procreandam. Huculque Scotus.

Quia autem contractus Matrimonii, prior est ipso Matrimonio, tamquam causa ejus; & similiter Sacramento Matrimonii, utpote institutus in primo parente, cum Sacramentum solum sit institutum in nova Lege; hinc primo agemus de Matrimonio ut contractus est, sive de contractu Matrimonii, qui sic potest defini:

CONCLUSIO I.

Contractus Matrimonii est, consensus reciprocos maris & femine, signo externo expressus, quo jus perpetuum tradunt in mutua corpora ad usum conjugalem.

Hæc definitio coincidit cum descriptione Scoti supra: nam illa translatio, quam ipse ponit, nihil aliud à parte rei est, quam consensus reciprocos &c. Itaque Scotus per Translationem, non intellexit effectum aliquem consensus Matrimonialis, sed ipsum consensum transferentem. Et quid mirum, cum illa translatio in ipso consensu Matrimoniali essentialiter includatur?

Probatur; quia Matrimonium non est contractus, qui perficitur solo consensu, sed qui ad sui perfectionem requirit traditionem rei; in quo distinguitur à contractu sponsalicio, qui perficitur solo consensu, ut patet. Hinc sicuti res vendita & tradita pro pretio, invalidè alteri venditur; ante tamen traditionem, etiam postà venditione, validè alteri venditur; idque quia venditio perficitur nudo consensu sine traditione; sic etiam, Matrimonio semel contracto, nequit validè aliud contrahi; quia per illud jam res ipsa tradita fuit æqualiter, secundum fictionem Juris, ac si res post venditionem alteri realiter esset tradita. At verò post contractum sponsaliticum valet Matrimonium cum tertio. Itaque illa traditio sive translatio corporum, de qua Scotus supra, non est propriè effectus contractus Matrimonii, sed essentialiter in illo includitur.

Et

4.
Signa ma-
rimonialis
debent pra-
ctice signifi-
cantur.

Et ideo, signa expressiva consensûs Matrimonialis, debent esse talia, quibus contrahentes non utrumque, sed practice sibi invicem consensum & obligationem significant, id est, quibus se actu obligare ostendant; alioqui solum erit promissio, & non verus contractus Matrimonii.

Atque ex hac doctrina, Card. Lugo dixit aliquando: non esse habendum pro Matrimonio valido, quod factum dicebatur hoc modo: Præsente casu Parocho & duobus testibus, & feminâ ex industria ibi expectante, advenit sponsus, ut clandestinè contraheret, qui in ipso ingressu à quodam tertio rogatus, ad quid veniret in eum locum? Respondit: *Venio ut videam dominam N. meam conjugem, seu, quæ meam conjugem est.* Ipsa autem tunc subjunxit: *Et ipse est meus conjux.* Quo audito Parochus surrexit & fugit, ne cogereetur Matrimonio clandestino assistere.

An illa ver-
ba sufficiant:
Venio ut
videam
meam con-
jugem &c.

Dubitatum ergo fuit; an verba illa viri sufficerent ad Matrimonium de præfenti contrahendum, prout gravissimi viri ex Jurisprudentia sufficere affirmarunt, quia in illis circumstantiis sufficienter significabant consensum præfentem. Nam verbum illud, *Est*, licet appareat enuntiativum, potest tamen sensum etiam facere practicum, ut constat ex verbis consecrationis: *Hoc est corpus meum*; in quibus verbis, *Est*, practice significat & ponit corpus Christi.

5.
Negat Lugo,
& probat.

Ergo tamen, inquit Lugo to. 2. de Just. disp. 22. sect. 3. n. 23. in rigore existimavi, non esse verum Matrimonium, quia licet contrahentes postea, datâ mutuo manu, consensum expresserint, id tamen Parochus non vidit, nec audivit; sed sola illa priora verba, quæ quidem non videntur practice significare obligationem, sed enuntiative seu narrative: si enim aliquis cuidam tertio dicat: *Ego volo Petrum relinquere hæredem meum*; verbis his non constituit practice hæredem, sed solum significat intentionem, quam habet. Item si dicat: *Vocate Notarium, quia volo donare Petro mea bona*; non donat practice his verbis.

Sic ergo in eo casu, qui tertie personæ, interroganti de causa adventûs, respondet, se venire ad videndam suam conjugem, non utitur verbis, quæ ex institutione hominum significant practice obligationem; sed solum narrat, quid factum sit, vel in proximo faciendum; nam tota illa propositio dicta tertie personæ, solum videtur ordinari ad reddendam rationem. Pone enim aliquem venisse eodem modo ad faciendum testamentum in favorem Petri, ibi existentis, & interrogatum ab alio tertio, ad quid veniret? Respondeat: *Venio ad videndum Petrum meum hæredem*, certè his verbis non institueret hæredem; sed significaret animum, quo venie-

bat, Petrum hæredem instituendi, quem ea de causa appellabat jam hæredem.

Item: quando summus Pontifex eligebatur per suffragia publica & adorationem, si Cardinalis animo eligendi aliquem iret ad sacellum, ubi cum aliis eligendus aderat, & interrogatus ab alio; *Quo venis?* Diceret: *Ad adorandum Papam*, certè per hoc responsum non censeretur jam dedisse practice consensum, & suffragium in ejus electionem; sed significat solum animum, quo veniebat, eligendi illum. Hæc Lugo.

Et n. sequenti respondet ad argumentum, desumptum ex verbis Consecrationis, dicens: In illis verbis est duplex significatio; altera est humana, seu quam habent ex institutione hominum, & hæc quidem non est practica, sed enuntiativa & narrativa; ea enim verba ex institutione hominum non habent ponere corpus Christi, sed affirmare illud. Altera verò est significatio Sacramentalis, quam habent ex institutione Christi, qui sicut elevavit aquam seu abluionem ad significandam practice gratiam; sic elevavit verba illa enuntiativa ad significandum practice & ponendum corpus Christi. Quæ secunda significatio non supponit verba de se significare practice: & constat in eisdem verbis Matrimonii: *Accipio te in meum*, quæ ex se solum significant contractum humanum; & tamen ex institutione Christi significant practice infusionem gratiæ habitualis. At verò in ordine ad contractum, debent verba illa ex se illud practice significare & facere contractum; sicut in Sacramento Pœnitentiæ verba Ablutionis debent esse talia, ut ex institutione hominum significant practice remissionem peccati, hoc est, significant, proferentem illis verbis velle practice remittere. Quod quidem verba illa in dicto casu non habebant, quin potius significabant responsum enuntiativum quàm contractum, qui per eadem verba fieret. Ita Eminent. pro sua opinione, quæ nobis videtur satis probabilis, ut infra iterùm dicetur, ubi de verbis seu signis externis, quibus Matrimonium contrahitur.

Hæc dicta sunt hoc loco, ut ostendatur, contractum Matrimoniale non perfici solo consensu, sed essentialiter includere traditionem rei seu translationem sui in jus alterius. Veluti Professio religiosa, quæ dicitur Matrimonium spirituale, non perficitur solo consensu; sed essentialiter includit traditionem seu translationem sui in jus Ordinis. Unde neque sufficeret ad validam Professionem dicere: *Ego venio, ut proficeam*; quàmvis per illa verba consensus ipsius enuntietur; sed oportet, practice exprimere suum consensum, dicendo: *Voveo & profiteor &c.*

Itaque ad contractum Matrimonii requiritur 1. consensus internus, 2. consensus recipi-

eiprocus seu mutuos. 3. consensus maris & feminae. 4. consensus, signo externo expressus.

lum, sed causa vinculi; quaeritur ergo, quare consensus merè externus, non posset esse causa istius vinculi mutui, atque perpetui amoris; sicuti in aliis contractibus, juxta Pontium, consensus merè externus est causa vinculi seu obligationis, resultantis ex illis contractibus. Et verò vinculum illud mutui, atque perpetui amoris, animorum, corporumque conjunctio, quid aliud est, quam obligatio iustitiae ad bonum Sacramenti, prolis, & fidei? Sandè amor perpetuus, animorum, corporumque conjunctio, saepissime longissime abest ab aliquibus conjugibus, in quibus tamen remanet illud vinculum seu obligatio; cur ergo hæc obligatio non possit primò contrahi absque mutuo illo amore, sive ex solo consensu externo? Nonne etiam contractus sponsalitiis ordinatur ad mutuum amorem? Et tamen ad ejus obligationem, secundum Pontium, sufficit consensus merè externus.

Maneat ergo ratio communis, prout eam tradit Lugo de Justitia & Jure disputatione vigesima secundâ, numero quadagesimo septimo in fine: quia id, quod nostrum est, sine voluntate nostra ad alium transferri non potest per nosmetipsos: omnis enim res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur: quare sicut ad acquirendum dominium non sufficit actus externus, quo ostendo, me velle dominium acquirere, si interius sit voluntas contraria non acquirendi; sic non possum dominium acquisitum ad alium validè transferre, si habeo voluntatem contrariam non transferendi. Hæc ille.

Quæ utique ratio militat, non solum in contractu Matrimonii, sed in cæteris omnibus, in quibus id, quod nostrum est, transfertur ad alium. Et verò in his omnibus non sufficere consensum merè externum, docet Lugo supra numero quadagesimo quinto. Quæ doctrina, ut ibidem ait hic Auctor, supponitur, ut communis & certa, ab omnibus ferè Doctoribus, quibus citatis, manifestum & certum id esse, nec in controversiam venire, docet Sanchez libro primo de Matrim. disputat. 9. numero tertio, & libro secundo, disputat. 25. num. 1. Molina tomo secundo, disputat. 352. §. Ego probabiliter, in fine. Undè in definitione contractûs & pacti, petitur ab omnibus Theologis, quòd sit conventio duarum voluntatum, seu quòd sit obligatio, ex contrahentium voluntate descendens; quare ubi non est consensus voluntatis, non potest esse verum pactum, sed simulatum & fictum. Ita Eminent.

Verùm non videtur propriis oculis legitime Sanchium; nam libro primo, disputat. 9. numero tertio, nullum citat Auctorem

12. *Approbatum x. ratio, Lugo,*

que militat etiam in aliis contractibus.

Sanchez, Molina,

13. *Probatum ex Sanchez ad*

8. *Ad Matrimonium re- quiritur consensus utriusque, ex c. 25. & 26. de Spon. litem q. de Spon. duorum.*

9. *Probatum ex ratione Pontius, Magister, D. Thom. Sanchez,*

10. *Alarico*

Gen. 2. c. 10. 93.

11. *Probatum*



Matrimo-
nium requi-
ri mutuum
consensum.

sed solum dicit, manifestum esse, promissionem, cui deest animus promittendi, non obligare ex vi promissionis. Et similiter libro secundo, disputatione vigesima quinta, numero primo, nullum adest Doctorem, sed dumtaxat probat, ad Matrimonium necessarium esse mutuum consensum; tum, quia in Matrimonio est mutua traditio corporum; quod autem est unius, non traditur alteri absque proprio consensu; tum, quia alii contractus non sunt absque mutuo consensu: ergo a fortiori Matrimonium. Antecedens patet; quia omnis contractus est quoddam pactum; pactum vero est duorum vel plurium in idem placitum consensus, l. i. ff. de Pactis, §. 1. Inst. de Empt. & vendit.

L. i. ff. de
Pactis §. 1.
Inst. de
Empt.

Hæc est tota doctrina Sanchii locis citatis, quam Adversarii non negant: sed contendunt, animum proferendi exterius verba promissionis esse verum animum promittendi, qui sufficiat ad inducendam obligationem; similiter non negant, requiri ad alios contractus mutuum consensum, sed contendunt sufficere consensum externum, id est, signa externa, quæ hominibus hic & nunc manifestant consensum internum, sive hic à parte rei subsit, sive non.

14.
An etiam
ad alios con-
tractus re-
quiratur
consensus
internus.

Interim sententia Lugonis, & nostra, communior est, & optime probatur ex ipso contractu Matrimonii, ad quem Omnes requirunt consensum internum, ut à parte rei, & in conscientia valeat; ergo idem consensus requiritur ad alios contractus, ut à parte rei, & in conscientia obligent. Quæ enim ratio disparitatis?

Differentia
aliqua ex
Turriano.

Respondet Turrianus disp. 55. dub. 12. n. 7. differentiam esse, quod Matrimonium sit contractus quidam gravioris momenti, & in quo Respublica humana non potest supplere consensum contrahentium, sicut potest supplere in aliis, & transferre dominium aliorum bonorum externorum, sine consensu contrahentis.

15.
Rejiciuntur.

Sed contra 1. hic non agitur de obligatione, quæ oriri posset ex voluntate Reipublice; quæ etiam sine contractu potest ex causa transferre dominium rerum tuarum in alium, te invito, ut patet in præscriptione; sed de obligatione, quæ præcisè oritur ex contractu, quatenus contractus est; quæ quidem nec ex voluntate Reipublice oriri potest, sine vero consensu contrahentium; sed erit alia obligatio, talis qualis oritur ex legibus præscriptionum. Quod autem talis obligatio de facto non oriatur ex contractu solum externo ficto, sine animo interno contrahendi seu consentiendi, patet; quia nulla lex à Turrian. Pontio & aliis Auctoribus afferitur, in qua statuitur translatio domini ex solo contractu externo ficto, absque animo contrahendi. Hinc, quamvis illa deceptio

foret iusta causa transferendi dominium; equidem quamdiu non constat de voluntate Reip. transferentis, non est talis translatio afferenda.

Præterea arguitur contra hanc differentiam ab Eminent. supra: Gravioris momenti est contractus, quo aliquis se in perpetuum servum alteri vendit, & majus nocumentum illi affert, quam contractus Matrimonii; & tamen in illo sufficit consensus, externis signis præstitus, sicut interius non fit, juxta regulam generalem ab illo Auctore traditam. Alioquin si propter gravitatem, & nocumentum majus, regula illa limitanda esset, idem dici posset de renuntiatione bonorum omnium præsentium & futurorum, quæ ex contractu etiam oneroso fiat, propter gravissimum nocumentum, quod contrahenti affert. Hæc ille.

Hinc Alii dicunt: specialiter hæc de Matrimonio esse constitutum cap. Tua nos, 26. de Sponal. in fine, ibi: Nos autem quid juris sit rescribentes: dicimus, quod si res ista se habuerit, videlicet, quod ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in eo nec substantia conjugalitatis contrahens, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri: quoniam ex altera parte dolus solummodo affuit. Et defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fedus perficere conjugale. Porro non debuisset hoc specialiter statui de Matrimonio, si certum sit, nullum contractum sicut inquit esse validum: exceptio autem firmat regulam in contrarium.

Respondeo; hic nihil novi statui, sed Pontifex Innocentius III. ad questionem responderet secundum jus nature, & ideo specialiter de Matrimonio, quia de eo specialis quæstio proponebatur. Unde hic nulla est exceptio; quoniam de aliis contractibus non fit ulla mentio; sed responsio datur ad specialem quæstionem de Matrimonio.

Tertiam rationem disparitatis invenio apud Pontium supra c. 4. n. 13. Matrimonium contractum esse juris naturalis, & reliquos civiles. Unde non mirum, si in illo natura ipsa indiderit obligationem, ut ad sit interius consensus: civilis autem cum sit ex hominum institutione, qui nihil possunt circa interiores actus, non requirat internum consensum. Ita Pontius.

Respondeo: alios contractus haud dici juris civilis quoad suam substantiam, quæ consistit in consensu interno se obligandi, manifestato signo externo; sed solum quoad aliquas solemnitates; vel si jus civile disponat de certis aliquibus speciebus con-

tractum, etiam quoad substantiam, haud equidem de generali ratione contractus, quæ in omnibus speciebus debet inveniri; quia illa ratio juris naturalis æquæ est in omnibus, ut clariùs patebit ex dicendis.

19. Probat ergo secundò suam, & nostram sententiam, Lugo suprà numero quadragésimo sexto, ex doctrina generali & Catholica, in Sacramentis novæ legis non sufficere ad eorum valorem consensum externum, significatum ex parte ministri, nisi etiam adsit intentio verè interna. Quod quidem colligitur ex eo, quòd Absolutio vera v. g. non possit esse sine animo interno remittendi & condonandi; quod idem est de collatione potestatis, quæ fit in Sacramento Ordinis, & sic de aliis. Sicut ergo condonatio peccati valida esse non potest per sola signa externa condonandi, sine consensu vero interno; sic nec condonatio debiti pecuniarii valida erit per sola signa exterioriùs propofita, sine animo interno condonandi; nam si hæc valida esset, non apparet, cur Absolutio Sacerdotis, sine consensu interno, valida non esset; siquidem Christus Dominus absolutè promissit gratiam pœnitentibus, quoties ex parte Sacerdotis ponatur remissio valida peccatorum per talia signa externa. Præsertim cum remissio in hoc Sacramento videatur imitari contractus onerosos, in quibus Turrianus regulam illam proponit; exhibet enim ex parte sua pœnitens rem magni momenti, & gravissimi oneris ad obtinendam remissionem, nempe Confessionem externam distinctam omnium criminum quantumcumque occultorum: quare si remissio debiti pecuniarii est valida, etiam sine animo interno remittendi, quando fit per contractum onerosum, quo debitor aliquid ex sua parte exhibet, ut remissionem obtineat, idem dicendum esset consequenter de remissione peccatorum sacramentali: cujus tamen contrarium dixit Trident. sess. 14. cap. 6. declarans, pœnitentem non manere absolutum, si Sacerdoti animus seriò agendi & absolvendi desit. Hæc ille.

20. Et similis est probatio; quâ Aliqui utuntur, dicentes; quia alias sequeretur, ex ficto voto oriri obligationem servandi illud; quia sicut obligatio contractus pendet ex voluntate contrahentis, sic etiam obligatio voti ex voluntate voventis. Si ergo sola signa contractus possunt obligare contrahentem, prædicta quoque signa voventi, voventem obligabunt.

Sed ad hanc probationem respondet Pontius suprà num. 12. dissimilem esse rationem de voto, atque contractu. Votum enim cum Deo fiat, cui nota sunt omnia, non indiget externis signis, sed vero consensu. Quare si

fictè fiat, id est, sine signis internis significantibus promissionem, cum Deus decipi non possit, nullam vim habet. Id quod tam in voto solemnî, quàm simplici, verum est, licet in solemnî, quod ad Ecclesiam atinet, etiam si vovens coram Deo liber sit, obligabitur adimplere, ut rectè docet Suarez lib. 1. de Voto c. 3. prope finem, n. penult. Intervenit enim ibi, sicut in votis simplicibus religiosi Status, alius contractus traditionis, ratione cujus obligabitur ad impletionem vororum, & ille tenebitur verè vovere. Hæc ille.

Qui consequenter potuisset respondere ad exemplum Absolutionis sacramentalis: disparem esse rationem, eò quòd Deus sit causa principalis remissionis peccatorum, qui optimè novit actus internos seu intentionem internam Sacerdotis, ad quam quasi alligavit infusionem gratiæ sanctificantis seu remissivæ peccatorum, ut patet ex communi sensu Doctorum, & Conc. Trident. suprà allegato. Et verò indubitatum est, Christum, si voluisset, ita potuisse instituire sua Sacramenta, ut ad eorum effectum satis fuissent signa externa, absque interna intentione ministri. Vide quæ hac de re diffusius disputavimus Parte 1. Disp. 1. Sect. 7. Concl. 4.

Itaque hæc probatio Lugonis à simili de Sacramentis novæ legis, non videtur factis efficax; uti nec illa à simili de voto; quàmvis nos eis usi fuerimus Sect. 1. Concl. 5. ubi de promissione ficta Matrimonii; quia saltem ostendunt, posse separari obligationem, aut alium effectum, ab actu externo, qui per se loquendo obligaret, aut causeret alium effectum, si intentio interna corresponderet signo externo.

Præterea; quàmvis Christus aliter potuisset instituire sua Sacramenta, tamen noluit; quia magis conveniens erat naturæ rerum, ut signa illa non operarentur, nisi dependenter ab intentione interna ministri; quippe actus agentium humano modo, non operantur ultra intentionem eorum. Quæ etiam est ratio; quare votum fictum non obliget, non autem quia Deus videt defectum intentionis internæ. Alioquin si homo fictè promitteret homini, & Deus illam fictionem promissario revelaret, saltem tali casu nulla oriretur obligatio ex ista ficta promissione, quod an Pontius concederet, nescio.

Hoc scio, Pontium docuisse lib. 12. c. 2. n. 10. idem dicendum esse de obligatione voti, quod de obligatione contractus, ibi: Itaque si quis promissit Deo per votum, etiam si id faciat sine animo se obligandi, tenetur voto: verè enim vovet, neque advenit voto ex voluntate humana obligatio implendi; sed factâ promissione, quæ consistit in ea affirmatione infinuata, naturali jure sequitur obligatio; maximè cum ea voluntas profere-

Suarez.

21. Resp. ad probationem Lug.

22. Ha probatio non videtur factis efficax, ad aliquid tamen valent.

23. An Pontius sibi ipsi contrarius.

di signa promissionis, & voti, separari non possit ab implicita voluntate se obligandi, ut supra dicto lib. 2. c. 4. late ostensum est. Hæc ille. Qui, ut supra vidimus, lib. 2. c. 4. n. 12. docet, disparem esse rationem de voto, atque contractu; hic autem putat idem dicendum esse de obligatione voti, atque contractu.

24.
Tertia probatio Lugo-
nis.

Tertio probat suam, & nostram sententiam, Lugo, ex donatione & promissione gratuita, in qua signa externa consensûs ficti non inducunt valorem promissionis; nec obligationem ullam in ficto promittente, quando ille alius nihil eâ de causa damni passus est, ut cum Aliis supponit Sanch. lib. 1. de Matr. disp. 9. n. 3. & disp. 10. n. 1. & videtur supponere ipse Turrianus; quia solum videtur loqui de contractibus onerosis, in quibus reperitur: *do ut des*; & quia doctrinam suam fundat in debito consentiendi, quod contrahens habebat, & deceptione injuriosa, quæ omnino non procedunt in promissione gratuita ficta, ex qua nullum damnum promissario consequitur.

Sanchez.

Turrianus.

Ex hoc tamen exemplo arguere possumus ad contractus onerosos: quia quod attinet ad consensum externum: hic non minus significat sensibilibiter in promissione gratuita ficta, quam in venditione ficta: si ergo ille consensus merè externus, non dat valorem promissioni gratuita, propter defectum consensûs interni, nec dabit etiam valorem contractui oneroso ficto; cum non minus requiratur consensus & voluntarium ad unum contractum, quam ad alium. Ita Eminent. n. 47.

25.
Sed non
premit Pon-
tium.

Sed hoc argumentum non premit Pontium, qui lib. 12. cap. 2. n. 7. generaliter asserit, ex promissione ficta, id est, sine vero animo se obligandi, obligationem nasci, etiam secluso damno, aut injuria, aut scandalo. Et rationem assignat; quia eo ipso, quod quis profert verba promissionis, & quæ scit esse promissionis, & illi, cui fit promissio, sunt insinuata, naturali jure tenetur ad servandam veritatem, cum promissio debeat esse fidelis & vera. Non est autem in ejus potestate, non teneri jure naturali ad implendum promissum; sicut nec est in potestate ejus, qui affirmat aliquid de præsentibus, non se obligare ad dicendum verum.

26.
Quarta
probatio Lu-
gonis.

Respondeo: disparem esse rationem; quia significatio vocum non pender à voluntate loquentis, sicut obligatio promissionis pender à voluntate promittentis. Vide dicta Sect. 1. Concl. 5.

Quarto arguit Lugo supra; quia in contractu oneroso, stantibus iisdem signis, propter variationem tamen consensûs, interim variatur substantialiter ipse contractus; v. g. si habens pecuniam Petri ad emendos ei libros, significes venditori, te illos tibi met

emere; interius tamen habes animum non emendi tibi, sed Petro; signa quidem externa eadem sunt, ac si tibi eos emeres; propter defectum tamen consensûs interni, non emis tibi, nec te obligas, sed Petrum, cujus nomine emis; ad eum, etiam si Religiosus sis, non indigeas Prælati licentiâ ad illum contractum; quia non emis tu, sed Petrus, licet exterius appareat contractus tuus; nec per illam emptionem contrahis obligationem, sed solum Petrus. Ecce licet verba externa significant consensum tuum, & animum te obligandi, non tamen te valide obligas; quia finis illum animum, quem mente non habes. Ergo si neque te, neque alium obligandi, animum habes, licet fingas illum animum, non facis verum contractum validum; quia verba sola externa non componunt adæquatè contractum sine consensu interno, ut constat aperte ex proposito exemplo. Hucusque Lugo.

Sed facile Adversarii id totum negarent, imò, consequenter loquendo, deberent negare, & dicere, variationem consensûs interni in casu proposito, nullatenus variare substantiam illius contractus; sed illum obligari ex contractu, qui exterius significatur emere; unde si foret Religiosus, indigere licentiâ sui Prælati. Et certum est, quod venditor eum conveniret, & in foro externo cogere pretium rei emptæ solvere, tamquam verus emptor.

Quinto argumentatur Lugo supra; quia Legillator sine animo interno obligandi, vere non obligat subditos, nec illa lex verè obligat subditos, nisi per accidens propter ignorantiam, ut Omnes pro comperto supponunt in tract. de Leg. Quare si subditus ex Dei revelatione sciret, Superiorem nolle obligare, non obligaretur. Sic etiam Dominus licet exterius significet, se velle te obligare ad non utendum re suâ, vel ad solvendum debitum; si tamen tu ex revelatione scires, illum non esse invitum, nec velle te ad id obligare, non peccares contra justitiam, operando contra signa externa ficta suæ voluntatis. Ergo nec obligat se contrahens, licet exterius significet obligationem, quando ipsi constat defectus voluntatis se obligandi; cum contractus sit etiam quædam lex, quam contrahens sponte sibi imponit. Ita Lugo.

Respondet Pontius supra n. 8. obligationem promissionis non oriri ex voluntate promittentis, sed ex naturali jure, quo debet esse conjuncta verbis veritas in futurum, quam non potest auferre à verbis, qui promittit. Et quamvis in voluntate ejus, qui promittit, sit promittere, & proferre verba aut signa promissionis, in quo consistit ejus ratio; non tamen est in ejus potestate, quod non sequatur obligatio, posita jam semel promissio.

missione; sicut etiam non est in potestate Legislatoris, posita lege, quod non obliget; obligatio enim legis sequitur ex naturali iure, licet in eius potestate sit, legem non ponere, aut obligare lege poenali, & non culpæ. Hæc ille.

Ego autem dico: læpissimè veritatem in futurum, non esse conjunctam verbis, etiam absque ullo peccato, quod ipse Pontius non potest negare; scilicet, quando justa causa supervenit non faciendi, quod promissum fuit; neque jus naturale dicitur, eam debere esse conjunctam cuilibet promissioni, sed dumtaxat veræ promissioni, qualis non est, ubi deest animus promittendi seu obligandi suam fidem; sicut non est vera lex, quando deest animus subditos obligandi; idèd sicut tunc non obligat lex, per se loquendo, ita neque promissio; quia non est vera lex, neque vera promissio, sed ficta.

Unde ficti non est in potestate Legislatoris, posita verâ lege, quod non obliget sic etiam non est in potestate promittentis, posita verâ promissione, quod non obliget; & ficti est in potestate Legislatoris, posita fictâ lege, quod non obliget, ita etiam est in potestate promittentis, posita fictâ promissione, quod non obliget; & ficti est in potestate Legislatoris, fictam ponere legem, ita etiam in potestate promittentis est, ponere fictam promissionem.

Ultimò denique argumentatur Lugo supra n. 48. quia non est fundamentum ullum sufficiens, propter quod discedendum sit ab hac sententia, seu potius ab hoc principio, ab omnibus communiter recepto, ut ex argumentorum solutione constare potest.

Primò itaque arguit Turrianus n. 6. ex communi hominum sententia; nam factâ venditione verbis externis, & liberè traditâ emptori, nemo dicit, illum non habere plenum dominium; quamvis enim venditor dicat, se simulatè vendidisse, emptor non tenetur ei credere, nec rem reddere, etiam in foro conscientiarum.

Respondet Eminent. retorquendo argumentum; neque etiam in donatione gratuita, neque in Matrimonio tenetur conjux credere conjugi dicenti, se simulatè consensisse: ex hoc tamen non arguitur valor contractus, si fictè & sine consensu interno consensit exterius: non est ergo argumentum valoris ex eo, quod deceptus non teneatur credere in foro conscientiarum: nam sicut in foro externo non debet credi afferenti, se fictè consensisse, propter præsumptionem contrariam, resultantem ex verbis externis, significantibus verum consensum: sic etiam in foro conscientiarum, propter eandem præsumptionem, quamdiu hæc sufficientibus argumentis non eliditur, non debet credere contrahens neganti, se ex animo contraxisse.

Quod probè intelligens Doct. Subr. 4. dist. 27. q. 2. *Utrum consensus expressus per verba sit causa sufficiens Matrimonii?* ad argumentum pro parte negativa: Quia tunc nullus posset esse certus de Matrimonio, sicut nec de consensu alterius; non enim videri quis voluntatem alterius: Consequens est inconveniens; quia nullus posset tunc uti certitudinaliter actu Matrimonii sine periculo.

Ad hoc, inquam, argumentum respondet n. 2. *Quod potest esse certitudo talis, qualis requiritur in actibus humanis; in aliis enim contractibus, puta venditionis vel commutationis rerum, non requiritur certitudo demonstrativa; sed sufficit probabilis, & ut in pluribus, & talis est in proposito ex suppositione istius propositionis: Quilibet habendus est verax, de quo non habetur evidens signum oppositi. Et ista est de lege naturæ, id est, consona legi naturali, quod pro fidei & veraci quilibet habeatur, quousque per experientiam, vel per testimonium aliorum fuerit certitudinaliter contrarium æstimatum.* Hæc Scotus.

Secundò arguitur; quia cum hoc requirat humanus modus contrahendi, & naturalis æquitas, ut contrahentes habeant animum contrahendi, quando externus contractus liberè celebratur; & hic animus non possit aliter hominibus manifestari, nisi externis signis; consequens est, ut quando hæc adfuerint, fiat verus contractus, ratione debiti consensûs; qui licet interius non exhibeatur, debebat tamen exhiberi ex debito iustitiæ.

Respondetur: hoc totum procedere etiam in contractu Matrimonii. Immo ex ipso, quod in argumento supponitur, argui potest contra argumentum, quia si consensus internus est debitus ex iustitia, ergo ad aliquid necessarius erit; si enim ad valorem contractus nullo modo requiritur consensus internus, sed solus externus; ergo consensus internus non debetur ex iustitia, sed solum ex veracitate, ad vitandum mendacium non perniciosum. Quid enim damni afferit contrahenti defectus consensûs interni, si absque eo æquè validus est contractus, & æquè bene transfertur dominium?

Certè non apparet, quæ injuria fiat à non consentiente interius, quando res exterius venditur, si ponuntur omnia necessaria ad transferendum dominium in emptorem, cum nullum præjudicium afferat, nec afferri possit defectus consensûs interni. Fatemur ergo, consensum internum non posse aliter, nisi per signa externa hominibus apparere, & hunc debitum esse in liberè contrahente; sed idèd debitus est, quia sine illo contractus reverà non subsistit; nisi solum secundum apparentiam, cum sine domini voluntate non possit ex eius voluntate dominium in alium transferri. Ita Lugo supra.

A a 3

Sed

32.
Potest haberi certitudo de Matr. ex Scoto.

33.
Secundum argumentum.

34.
Respondetur.

35.
An ex iustitia
debeat
consensus
internus.

Sed contra, inquis, saltem dubium est, an sufficiat consensus tantum externus, & probabilius est, non sufficere; ergo ex iustitia debet consensus internus, ut sicuti venditor v. g. qui interius consentit, certo certius transfert dominium rei venditæ in emptorem; ita etiam emptor certo certius transfert dominium pretii in venditorem. Præterea; consensus internus dicitur debitus ex iustitia, non quia absque eo nequeat transferri dominium; sed quia sine ordine ad illum non transfertur dominium; nisi enim signa externa significarent consensum internum, nullatenus per ea transferretur dominium; v. g. si quis, ex gravi metu coactus, ponat signa externa absque consensu interno, revera non obligatur; quia ista signa in his circumstantiis non dicunt sufficientem ordinem ad consensum internum; quia quilibet prudens facile potest suspicari defectum huius consensûs, quandoquidem tali casu non sit debitus, nisi ad summum ex veracitate; immo subinde nec ex veracitate, v. g. qui gravi metu contrahit Matrimonium, potest absque mendacio dicere: *Accipio te in meam, vel, meum*, subintelligendo, in quantum valeo, tamen si interius nullatenus consentiat, imò nec possit consentire, cum sciat Matrimonium esse invalidum.

Respondeo: hæc omnia solum probare, consensum internum esse debitum ex iustitia, quæ tamen nequit fieri absque illo consensu.

36.
Tertium
arg. Turriani.

Tertio arguit Turrianus ex magnis inconvenientiis, quæ sequuntur ex communi sententia; posset enim fictus venditor, etiam subsecuta venditione & traditione rei venditæ, rem suam occultè accipere, restituito occultè pretio ipsi emptori, quod tamen absurdum magnum esset.

Rejicitur.

Respondeo: hoc argumentum eodem modo procedere in donatione gratuita ficta, & in Matrimonio, in quo graviora sequerentur inconvenientia, si fictè contrahens posset occultè à Matrimonio se separare. Sicut ergo propter hæc inconvenientia, fictè contrahens Matrimonium, debet regulariter postea verè consentire, ut conjugem injustè deceptum indemnem reddat; sic dicendum est in aliis etiam contractibus, teneri fictè contrahentem fictionem auferre, & verè consentire, quando aliter non potest contrahentem deceptum indemnem servare, ne patiatur damnum ob fictionem positam: quando verò (inquit Lugo sup.) ex fictione nullum patitur damnum, qui deceptus fuit, non apparet inconveniens, quod ex defectu valoris consequatur, magis quàm ex aliis deceptionibus circa materiam non perniciosam, quæ solum erunt contra veracitatem debitam in verbis externis, ut menti conformentur.

Itaque propter illa inconvenientia non est debitus verus consensus, nisi pars ex illa fictione patiatur damnum; quòd si nullum patiatur damnum, non est gravis obligatio ponendi verum consensum. Et hinc, nisi quis ex promissione, aut donatione gratuita, patiatur aliud damnum, præter carentiam rei promissæ, aut donatæ, non videtur illicitum illi, qui fictè promittit, vel dedit, non dare rem promissam, aut datam occultè auferre; quia verè alter non habet jus ad illam rem, aut verè non est dominus istius rei. Si autem aliud pateretur damnum, quia v. g. non comparavit sibi rem illam, quia putabat hanc accipere à promissore, aut jam esse suam, tenetur deceptor verè consentire.

Si inferas; ergo signum illud externum obligat, cum jam habeat eandem obligationem, quam haberet, si adfuisset verus consensus. Respondeo; idem reperiri in Matrimonio, in quo tamen solum signum externum non sufficit ad verum contractum. Idem ergo cum proportionem dicendum in aliis contractibus, per quos transfertur dominium; quàmvis enim debeat transferri dominium, non tamen censetur translatum, nisi accedat consensus internus, ita ut si venditor v. g. recipiat rem ab emptore, & alteri vendat, ac tradat, traditio sit valida; ergo non est eadem obligatio ex contractu ficto, & verò seu valido.

Et similis est ratio in aliis contractibus, per quos non transfertur dominium, v. g. promissione; nam tali casu non oritur obligatio ex contractu immediatè, sed potius ex deceptione; unde non est obligatio immediata ad rem v. g. dandam, sed solum ad consensum; quod inde constat, quia si non oriatur damnum, non tenetur consentire, ut dictum est; ergo non immediatè ex contractu, sed ex injusta deceptione tenetur. Hinc, qui commodavit alteri equum fictè, potest illum occultè auferre, si commodatarius non patiatur damnum, præter carentiam equi, & privationem boni, quod habebat ex re illa commodata; secus si sequeretur damnum aliquod distinctum. Omnibus itaque consideratis, videtur longè probabilius, non tantum ad valorem Matrimonii, de quo hic tractamus; sed etiam ad valorem aliorum contractuum, necessarium esse in foro conscientie consensum internum.

Cumque Matrimonium sit permutatio corporis pro corpore, liquet profectò, non sufficere consensum unius partis; sed essentialiter exigi consensum mutuum seu reciprocum, ut in terminis declarat Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ibi: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutus consensus, per verba de presenti expressus*. Ubi addit *ly Regulariter*, non ut significet, aliquando effici

effici Matrimonium absque mutuo consensu; sed, ut infra latius dicitur, ad significandum, sufficere etiam alia signa externa, præter verba. Et verò, nonne pactio definitur l. i. ff. de Pactis: *Duorum pluriumve in idem placitum consensus*? Quis autem ambigat, Matrimonium esse pactioem?

Itaque requiritur consensus mutuus seu reciprocus, id est, requiritur, quòd illi duo consensus aliquando simul existant; non quidem realiter, ut patet ex dicendis suo loco, sed saltem virtualiter, ita ut posterior consensus detur pro illo tempore, pro quo eum expectat, qui prior consensit. Sin autem illo tempore non detur, cum jam nequidem prior consensus virtualiter existat, non erit consensus plurium in idem, sed unius tantum. Intentio ergo contrahentium consulenda est, pro quo scilicet tempore voluerint præbere suum consensum.

Quòd autem debeat esse consensus maris, & feminae, nemo est qui dubitet; nam generatio proles, quæ est finis primarius Matrimonii, nequit esse inter plures ejusdem sexus; sed necessariò requirit diversitatem sexuum, ut omnibus notum est, & idè non indiget ulteriori probatione.

Si autem à me queritur; an sufficiat consensus merè internus? Respondeo citò, negativè. Patet ex decreto Eugenii supra, ibi: *Per verba de præsentibus expressus*. Et sanè ad Sacramentum Matrimonii non sufficere consensum internum, ab Omnibus admittitur, quia Sacramentum est signum sensibile. Ex quo infero, etiam non sufficere ad contractum Matrimonii; quia Christus non mutavit naturam contractus, sed solum eam elevavit ad rationem Sacramenti; ergo antequam esset Sacramentum, etiam consistebat Matrimonium in aliquo signo externo, & non in solo consensu interno.

Neque solum Matrimonium requirit signum externum, sed etiam reliqui omnes contractus humani, sive respectivi, ut emptio & similes, in quibus est mutua traditio seu promissio; sive non respectivi, ut promissio non mutua. Ratio generalis; quia contractus est actio politica, id est, actio hominis de gentis & constituentis Rempublicam politicam & externam, quæ ex natura sua sine signis externis esse non potest; cum homines inter se non communicent, neque cognoscant mutuos conceptus, sine signis exterioribus. Cum igitur obligatio, quæ nascitur ex contractu, sit vinculum aliquod externum, seu obligans in foro externo, in quo utique non iudicatur, nisi de externis; necessarium est, ut id, per quod inducitur tale vinculum, sit etiam aliquid externum; alioqui constare nequit, an vinculum sit inductum, vel non; an hic, vel ille, sit dominus talis vel talis rei.

Cum ergo in Matrimonio transferatur dominium corporis, ut patet ex ultima parte Conclus. seu definitionis Matrimonii, scilicet: *Quo jus perpetuum tradunt in mutua corpora* &c. necessarium fuit ex ipsa natura hujus contractus, quòd hoc fieret signis externis, ut constare possit in foro externo, quis sit vir, & quæ sit uxor; ut vir possit scire, quæ sit sua uxor, & uxor, quis sit suus vir.

Addunt aliqui juris Interpretes: alioquin non esse consensum, sed dumtaxat simul sensum, consensus enim duorum nequit esse, nisi sciant se idem sentire; id autem non possunt scire, nisi per aliquod signum externum, prout de facto natura humana est instituta; & secundum illam institutionem hic loquimur. Si enim Deus (inquit Pontius lib. 2. c. 6. n. 14.) miraculosè efficeret, ut homines sibi per conceptus loquerentur, sicut & Angeli loquuntur, non dubito consensum internum, per signa intellectus tunc manifestatum, sufficientem esse ad contrahendam obligationem; & hoc fortasse sensu, nonnulli Recentiores docent, non repugnare naturæ domini, quòd transferatur per consensum internum, directum jam scilicet, & manifestatum, per conceptum alteri, cui innotesceret ex conceptu, seclusis signis corporeis. Hoc tamen non tollit, quòd minùs ex ipsa naturali institutione sint necessaria signa externa sensibilia; quandoquidem natura nos animo, & sensu constare voluit, neque in hoc Republicæ statu intelligere, nisi per sensus. Hæc ille.

Quare (prosequitur) nunquam probandum, quòd Nonnullos ex juris Canonici Interpretibus dixisse retulimus, verba tantum requiri ex institutione Ecclesiæ, vel signa sensibilia. Quæris, qui sint illi Interpretes? Respondet Pontius ibidem n. 2. Innoc. & Cuiacius in cap. *Tuæ Fraternitati*, 25. de Sponsalibus: quod sic sonat. *Tuæ Fraternitati*. Et infra: *Postulasti, utrum ex solis verbis, & ex quibus Matrimonium contrahatur*. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum: sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba, consensum exprimentia de præsentibus*. Nam surdi, & muti possunt contrahere Matrimonium per consensum mutuum sine verbis. Ergo verba vel alia signa sensibilia tantum requiruntur ex institutione Ecclesiæ.

Respondeo negando Consequentiam; quia jus illud tantum excludit necessitatem verborum, seclus aiorum signorum sensibilibus; ut patet ex illis verbis: *Postulasti, utrum ex solis verbis* &c. Ergo quærebatur à Pontifice Innoc. 3. non, an Matrimonium posset contrahi absque omni signo sensibili; sed tantum, an posset contrahi sine verbis, idque prop-

42. prout de facto humana natura instituta est.

Pontius;

43. An signum externum requiratur ad Matr. ex sola institutione Ecclesiæ. Innoc. Cuiacius. C. 25. de Spons.

44. Ostenditur, quòd non.

37. Non est de Pactis.

38. Quædam obligatio non est in contractu.

40. Non sufficit consensus internum. Concil. Florent.

41. Omnes contractus humani requirunt signum sensibile.

propter surdum, & mutum, qui videntur posse contrahere Matrimonium, quamvis non possint uti verbis. Quando ergo Pontifex respondet, posse eos contrahere Matrimonium per consensum mutuum sine verbis, noluit excludere alia signa æquivalentia; sed tantum verba propriè dicta, ut rectè notat Gloss. ibi verb. *Sine verbis*, dicens: *Sed non sine signis, vel nutibus, sup. eod. Cum apud*

45. *Potest Matrimonium contrahi sine verbis propriè dictis, ex c. 23. de Spon.*

Accipe verba hujus textus: *Cum apud Sedem Apostolicam. Et infra. Sanè consulisti nos, utrum surdus, & mutus alicui possint Matrimonialiter copulari: Ad quod taliter respondemus; quòd cum prohibitorium sit edictum de Matrimonio contrahendo, ut quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur, & sufficiat ad Matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumque conjunctionibus agitur. Videtur, quòd si talis velit contrahere, sibi non possit vel debeat denegari: cum quòd verbis non potest, signis valeat declarare. Igitur ly *Solus consensus*, non excludit hæc signa, sed tantum verba propriè dicta; ergo similiter in cap. *Tua fraternitati*. Ergo ex eo malè inferitur, verba, vel alia signa, tantum requiri ex institutione Ecclesiæ. Majorem difficultatem habet, quod dicitur cap. *Cum locum*, 14. eod. tit. *Matrimonium autem solo consensu contrahitur. Ubi Gloss. verb. Solo consensu*, assert in confirmationem cap. *Sufficiat*, 27. q. 2. *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus, si in nuptiis solus fortè defuerit, cetera omnia, etiam cum ipso coitu celebrata, frustrantur.**

46. *Quid per solum consensum intelligat cap. 24. de Spons.*

Respondeo: in priori textu distinguitur consensus liber, ab eo, qui ex metu præstatur; & dicitur, illum solum, non autem hunc ad Matrimonium sufficere, ut patet ex principio cap. sequentis tenoris: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur: Matrimonium autem solo consensu (scilicet libero & non coacto) contrahitur &c.* Non autem solo consensu, absque signo aliquo externo, de quo ibi non quærebatur; maxime cum, sicut ante dictum fuit, sine signo externo non sit verus consensus.

47. *Quid intelligat c. 27. q. 2.*

Porro posterior textus per *solum consensum*, tantum excludit reliquas solemnitates, ut manifestè patet ex toto contextu cap. 3. ad Responsa Bulgarorum, ex quo desumpta sunt ista verba. Sic enim ibi lego: *Hæc sunt jura nuptiarum; hæc sunt præter alia, quæ nunc ad memoriam non occurrunt, pacta conjugiorum solemnissima: peccatum autem esse, si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus, quemadmodum Græcos nos astruere dicitis; præsertim, cum tanta soleat arctare quosdam rerum inopia, ut ad hæc præparanda, nullum his suffragetur auxilium, ac per hoc sufficiat secundum*

leges &c. ut supra. Ergo non excluditur signum externum, cum nullos soleat tanta arctare rerum inopia, quin facillimum sit illis tale signum.

Aliquando etiam per *solum consensum*, jura intendunt dumtaxat removere copulam carnalem, ut in cap. fin. de Sponsa duorum, ibi: *In Matrimonii de cetero contrahendis, illud te volumus observare, ut postquam inter legitimas personas consensus legitime inter venerit de presenti, qui sufficit in talibus, juxta canonicas sanctiones.* Agebatur quippe de eo, qui duobus Matrimonii copulatus fuerat, ad primam non accesserat, secundam cognoverat; nihilominus decernit Pontifex Innoc. 3. valere primum Matrimonium, & ad illam debere redire; quia solo consensu primum Matrimonium fuerat perfectum, solo, inquam, id est, sine concubitu, non sine signis externis.

Pro quo Nota verba textus illius in principio: *Tuas dudum: Et infra. De consuetudine, quæ diu in Mutinensibus obtinuit civitate, ut si quis juraret se aliquam ducturum, & citra carnis copulam desponsasset.* Quæ verba videntur significare, non contractum Matrimonii de presenti, sed contractum sponsalium de futuro; cum tamen sequentia significent desponsationem de presenti. Hinc Cuiacius putat hanc lectionem esse mendosam; nam, ut notatur ad marginem illius capituli, in omnibus manuscriptis ita legitur: *Ut si quis juraret aliquam, & citra carnis copulam &c.* Illa enim duo verba: *Se ducturum*, nusquam apparent in antiquis.

Sed, meo judicio, illa duo verba non vitiant; nam intelligi possunt de sponsalibus, quæ præcesserant desponsatione de presenti; unde quod sequitur: *Et citra carnis copulam desponsasset*, intellige per verba de presenti, ut Gloss. ibi in propositione castis. Olim, inquit, obtinuit consuetudo in Ecclesia Mutinensibus, ut si quis aliquam desponsasset per verba de presenti, & ante carnalem copulam aliam acciperet &c.

Ceterum Aliqui dicunt; ideo jura sic loqui, quia non requiritur aliquod certum & determinatum signum, & quia sine consensu interno contractus Matrimonii nunquam subsistit. Veluti l. 1. §. *Si vir ff. de Acquir. poss. & alia eod. tit.* quando dicunt, possessionem amitti solâ voluntate non possidendi, non excludunt omne signum externum; sed tantum tale signum, quale requiritur in acquirenda possessione; nec enim ad amittendam possessionem necessaria semper est Judicis sententia, aut contractus, vel traditio aliqua, sed sola derelictio cum animo, si adsint signa externa qualiacumque sint, sufficienter significantia illum animum.

Quòd autem non excludatur omne signum

num externum, colliges, inquit Pontius supra num. 13. ex ultimis verbis leg. Si quis, 2. ff. de Acquir. poss. ibi: Si quis igitur ea mente possessionem tradidit, ut postea ei restitatur. Ecce mentem, traditione manifestatam. Constat etiam ex responso Javoleni in l. Quarundam, eodem tit. ubi inquit: Quarundam rerum animo possessionem adipisci nos, cum tamen ipsi Jurisperiti negent acquiri solo animo. Sed vide, quid animum vocet, conjunctum scilicet cum adhibitione custodis. Itaque tantum excludit traditionem, quasi dicat, etiam sine traditione amitti, & acquiri possessionem. Unde idem Paulus in l. Quomodo, inquit possessionem neque acquiri, neque amitti sine animo & corpore. Vide quæ de hac re latius diximus Sect. 1. Concl. 4.

Si obicias: solus consensus internus est radix obligationis. Respondeo: sed non tota ratio obligationis. Sic Fides à Conc. Trid. sess. 6. c. 8. dicitur radix nostræ justificationis, ibi: Ut scilicet per fidem ideò justificari dicamur, quia fides est humane salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis. Non tamen propterea est tota ratio justificationis; nam, ut dicitur in ead. sess. c. 7. Fides nisi ad eam Spes accedat & Caritas, neque vivit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Eadem ergo ratione consensus internus dicitur radix sive initium obligationis; quia præsupponitur actui externo, & sine ipso, in probabiliori sententia, signum externum in foro conscientie nihil operatur per se loquendo.

Sed antequam concludo hunc discursum, placet audire, quid de hac re sentiat Scotus 4. dist. 26. q. 1. ubi n. 2. sic ait: Secunda Conclusio est: Marem & foeminam potestatem suorum corporum sibi mutuo tradere pro usu perpetuo, ad procreandam prolem, debite educandam, honestum est. Probat eam n. 8. dicens: Ad probationem 2. Conclus. principalis fit hæc 1. Conclus. Obligationem istam indissolubilem expedit ex actu voluntatis personarum obligatarum innasci. Hoc probatur: quia vel sic nascetur, vel ex impositione Legislatoris, sine actu voluntatis eorum; sed primum est utilius & magis consonum rationi naturali: quia ex quo obligatio debet esse indissolubilis, expedit, quod modus, quo fit, sit convenientis indissolubilitati ejus; sed si cogerentur à Legislatore sibi invicem conjungi, minus placerent sibi mutuo, & ita esset major occasio disensionis futuræ, quia sicut dicitur 2. c. q. 3. Præfens: Quod quis non diligit, profectò non diligit: quod autem non diligit, facile contemnit.

Secunda Conclus. est hæc: Marem & foeminam transferre in se invicem potestatem corporum suorum pro usu perpetuo ad istum finem, honestum est, & hoc contractu mutue donationis. Hoc patet ex præcedenti, vis à ratione contractus mutue donationis. Dicitur enim

contractus, quasi simul tractus duarum voluntatum; & per consequens, necessario requiritur actus voluntatum concordans in translatione mutua corporum, sicut in permutationibus & venditionibus communiter accidit.

Quod autem non sufficiant voluntates merè internæ, ibidem docet his verbis: Nec hoc sufficit, sed oportet istos actus per aliqua certa signa mutuo exprimi: alioquin neutri constaret de actu voluntatis alterius: & neuter vult transferre, nisi pro quanto concipit, alium velle in ipsum transferre.

Si ergo ex præced. Conclus. expedit illos obligari per proprias voluntates, & non sine signis expressis: ergo expedit ibi esse contractum, ex quo nascitur illa obligatio; sed contractus ille non potest esse, nisi mutue donationis vel permutationis (quod idem est) potestatis corporum pro usu perpetuo ad istum finem; nam potestatem sui corporis, quæ sua est, nullus transfert in alium, nisi per actum voluntatis suæ; quia per illum fit dominus, & definit esse dominus. & sic facit alium dominum, & per consequens, illud quod alius acquirit in corpore alterius, transfertur in ipsum per actum voluntatis liberè transferentis: & hoc signo extrinseco evidenti, in quo habetur ratio contractus prædicti. Forma istius contractus est: Do si des: vel, do ut des. Ita Scotus de consensu requisito ad contractum Matrimonii.

Proinde merito pro genere definiti, positus fuit in definitione contractus Matrimonii: Consensus reciprocus &c. qui an absolute possit per Rempublicam, aut saltem per Deum suppleri, videbimus Conclus. 7.

Venio ad ultimam partem præsentis Conclusionis seu definitionis Matrimonii, per quam differt hic contractus à ceteris omnibus, scilicet: Quo jus perpetuum tradunt &c. quamvis enim multi contractus celebrentur inter marem & foeminam, ut nimis manifestum est; equidem per nullum, præter contractum Matrimonii, traditur jus in mutua corpora ad usum conjugalem.

Si obicias contractum sponalium. Respondeo: per illum non traditur jus, sed solum promittitur traditio juris in futurum, ut bene notat Scotus 4. dist. 28. q. un. n. 2. dicens: Contractus Matrimonii, qui scilicet inducit obligationem vel vinculum, quod dicitur vinculum Matrimoniale, est datio, etsi non liberata; cum sit tamen datio pro alio recipiendo, quæ est permutatio, est traditio saltem mutua potestatis corporum, sed nullus promittendo tradit illud, quod promittit; immò est contradictio, quia promissio est de tradendo in futurum: consensus autem de futuro, expressus signis convenientibus tali consensu, non est nisi promissio; ergo impossibile est ibi esse traditionem, nec per consequens contractum Matrimonii.

Si quis autem (prosequitur Doctor) vellet facere vim de Sacramento concomitante contra-

Contractus quid.

53. Ad Matr. requiritur signum extrinsecum consensus.

Contractus Matr. est mutua permutationis.

54. In quo differat Matr. à ceteris contractibus.

55. Objeçtio solvitur.

Contractus Matr. est traditio mutua potestatis corporum, ex Scoto.

Forma Sacramenti, est signum representativum non prognosticum, ex eod.

Etiam, posset dicere, quod propria forma hujus Sacramenti, sive consistat in verbis tantum, sive in signis aliis, non tamen consistit nisi in signo representativo, non autem prognostico; nec intendere pro futuro est sufficiens intentio in ministro ad ministrandum Sacramentum: sed oportet, quod intendat pro presenti, sicut signum significat. In Sacramentis enim veritatis, minister non ministrat idonee, si mentitur; ergo non est Sacramentum, si est consensus de futuro tantum, propter defectum intentionis ministri, & mendacium est, si utitur signo representativo; si autem utitur signo prognostico, etsi non mentiat, tamen deficit intentio requisita, & signum debitum requisitum.

56. Obiectio.

Dices: omne vinculum vel contractus, ad quem licite potest fieri carnalis copula, est Matrimonium vel Matrimonii contractus: sed post consensum expressum verbis de futuro, sive post sponsalia, licite sequitur copula carnalis; quia tales non dicuntur fornicarii, quia subeunte copula carnali, Ecclesia simpliciter dicit, Matrimonium esse inter illos: ergo. Hoc confirmatur extra de Sponsal. Is qui. Ita obijcitur apud Scotum supra n. 1.

Solvitur ex Scoto.

Ipse autem n. 3. respondet: Quod Major non est vera, nisi intelligatur de vinculo indissolubili ante actum copulae: istud autem etsi fiat indissolubile per actum illum, non tamen erat prius indissolubile.

57. Copula post sponsalia non facit Matr. in re, sed in foro Ecclesie.

Es si queras, isto supposito secundum praesumptionem Ecclesiae, quid secunariam veritatem, est vinculum indissolubile; nunquid actus sequens, causat vinculum indissolubile? Respondeo; veritas praevalet praesumptioni simpliciter, & in quocumque iudicio, si appareat, quod aequaliter possit esse veritas nota, sicut illud unde oritur praesumptio. In veritate ergo si iste in actu sequenti sponsalia, non mutat consensum sponsalium, in consensum Matrimoniale, non efficitur Matrimonium per istum actum: quia iste actus nec ex natura rei, nec ex lege divina est forma sacramentalis, nec Matrimonii in proposito. Ecclesia tamen, cui non potest innotescere animus exercentis actum illum, praesumit, quod iste noluit peccare mortaliter, & ideo, quod talis procedat a consensu sponsalium ad novum consensum Matrimoniale, & illo affectu cognoscat istam.

secundum jus antiquum c. 30 de spons.

Et per hoc ad illud, quod adducitur extra. Concedo enim, quod si non mutetur consensus prior in Matrimoniale, secundum veritatem non est Matrimonium, licet Ecclesia sic praesumat.

Intellige secundum jus antiquum supra in objectione allegatum, quod sic sonat: Is qui fidem dedit M. mulieri super Matrimonio contrahendo, carnali copula subsecuta, etsi in facie Ecclesiae ducat aliam, & cognoscat, ad primam redire tenetur: quia licet praesumptum primum Matrimonium videatur, contra praesump-

tionem tamen huiusmodi non est probatio admitenda. Alioquin haec Matrimonia praesumpta, jure novo Conc. Trident. sess. 24. c. 1. de Refor. Matr. annullata sunt, ubi hoc Conc. obligat, ut suo loco videbimus.

Objicitur praeterea apud Scotum supra n. 1. Impletio promissi, sicut & fidelitas, est de lege naturae: non autem est per illum actum; quia ille actus non est forma contrahendi, nec Sacramenti: ergo prius fuit Matrimonium, ergo promissio est vinculum indissolubile, & maxime si confirmatur juramento; quia servare juramentum, est de lege naturae.

Respondet Scotus n. 3. Quod promissio, etsi sit de lege naturae servanda, tamen non attingit ad contractum donationis, & ideo quantumcumque teneatur solvere promissum, res tamen manet sua: si autem det alteri, data est, nec potest postea ab illo, cui dedit, auferre, ut reddat promissam; nec tenetur ad restitutionem, quia nihil sibi abstulit; sed debet de impossibilitate reddendi promissum pœnitere, sive de defectione promissionis. Ita est hic: ergo illa propositio major, quod vinculum indissolubile, perveniens ad istam obligationem, est Matrimonium; vera est tale indissolubilis de jure & de facto, sicut est quando ratio facta est perpetua; promissio autem etsi sit indissolubilis de jure, tamen dissolubilis est de facto per dationem sequentem.

Objicitur 3. apud Scotum supra n. 1. Non est medium, quantum ad contractum istum, inter sponsalia, & Matrimonium; sed quando apponitur juramentum, excedit contractus firmitatem sponsalium; quia sponsalia habent firmitatem suam sine juramento; ergo quando apponitur juramentum est contractus Matrimonii: ex promisso ergo cum juramento, surgit vinculum indissolubile: ergo Matrimonium.

Respondet Doct. Subt. supra n. 3. Quod in sponsalibus est gradus in firmitate, & firmitas juramenti addita sponsalibus per consensum, & de futuro, licet magis certificet, non tamen exit certitudinem & firmitatem sponsalium.

Itaque juramentum, adjectum sponsalibus, confirmat quod factum est, non mutat illum contractum, nec transfert in Matrimonii contractum; quia sequitur naturam actus, cui adjicitur.

Maneat ergo contractus sponsalium exclusus a definitione matrimonii per illam particulam; Quo jus perpetuum, id est, indissolubile, tradunt &c. De hoc jure, & perpetuitate ejus, inferius propriis locis diffusius agetur.

Ex haecenus dictis facile quisque intelliget atque explicabit definitionem Matrimonii, quam tradit Magister 4. dist. 27. dicens: Sunt ergo nuptiae vel Matrimonium, viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas, in matrimonium vitae consuetudinem retinens. Et

Et istam Alex. 3. cap. Illud quoque, 11. de Presumpt. Maris & femina conjunctio individuum vite consuetudinem retinens. Vel, ut loquitur Jos civile Instit. de Patria potest. Nuptie sive Matrimonium est viri & mulieris conjunctio, individuum vite consuetudinem continens. Et l. 1. ff. de Ritu nupt. Nuptie sunt conjunctio maris & feminae, & consortium omnium vite, Divini & humani juris communicatio.

Has, inquam, definitiones sic explicare poteris cum Doct. Subr. 4. dist. 27. q. 1. n. 2. Si Matrimonium accipitur proprie pro illa conjunctione, tunc debet intelligi conjunctio habitabilis, idem quod obligatio. Si autem accipitur ibi pro contractu proprie, tunc conjunctio potest accipi pro actu conjungendi, vel passione, que includit utrumque actum, scilicet intrinsecum & extrinsecum personarum, in actu suo conjunctarum.

Hinc, ut notat ibidem Scotus, Intelligendo Matrimonium proprie, conjunctio intelligitur pro relatione. Et cum dicitur, quod illa esset terminus motus, non sequitur; quia illa mutatio pre- via, qua erat ibi (illa relatio seu obligatio) erat per actum voluntatis, non derelinqentem aliquis (reale) inductum, & secundum actum consensu signum exteriorem, a quo etiam nihil (reale) derelinquebatur.

Si inferas: quod essent duo Matrimonia, vel quod Matrimonium non sit essentialiter unum. Respondet Scotus supra: Matrimonium est unum unitate integritatis, non indivisibilitatis: & ita est univociter in omni contractu, quia contractus includit duas partes, scilicet assensum huius & illius; & in utroque etiam duos actus, scilicet interiorem & exteriorem significanciam illum interiorem.

Porro per individuum vite consuetudinem Scotus supra num. 1. intelligit vitam indissolubilem, ibi: Quero duo circa istam 27. dist. primo de definitione Matrimonii, quam ponit Mag. in littera: Utrum sit conveniens cum dicit, quod Matrimonium est viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimis personas vitam indissolubilem retinens. Eodem modo eam explicat Sanchez lib. 2. disp. 1. num. 8. ibi dicitur: Individuum vite consuetudinem retinens, id est, perseverantiam; ut explicetur finis Matrimonii, qui est mutua habitatio, & non esse solubile, sicut alia vincula contractuum, que mutuo consensu tolluntur.

At vero Pontius lib. 1. c. 2. n. 4. per illa verba in Legibus civilibus putat non significari perpetuam cohabitationem; olim enim, inquit, jure civili conjugibus licebat divertere, quotiescumque vellent; ut dicam infra l. 9. & ostendit Connanus libro octavo, Comment. Quare illis quidem verbis significatur, conjuges quamdiu cohabitant eisdem fortunæ statibus prosperis & adversis expositos esse. Vita namque non tantum ea, quam vivimus; sed etiam facultates, ali-

menta, fortunam, que viventibus accidunt, significat, ut late probat Tiraquellus de Nobil. capite trigesimo primo, numero 367. Ad animum itaque, conjunctionis nomen aperte refertur debet, non ad carnalem corporum, quam non esse essentialem, neque ad integritatem Matrimonii pertinere, ostendam infra hoc libro, capite decimo octavo. Tum; quia affectu nuptie introducuntur, l. Si quis, 26. C. de Nuptiis, ibi: Si enim ex affectu omnes introducuntur nuptie. Tum etiam; quia animus & vorum contrahentium esse debet, ut Matrimonium sit consortium omnis vite & individua vite consuetudo, hoc est, ut nunquam dirimatur; l. 1. ff. de Jure dotium. Dotis causa perpetua est, & cum voto ejus qui dat, ita contrahitur, ut semper apud maritum sit; ut Jacob. Cuiac. in principio Instit. de Nupt. Videndus etiam Durandus ad Tit. Solutio Matrimonio, de Nuptiis cap. 1. Hucque Pontius.

Quantum ad illam particulam: Divini & humani juris communicatio, per eam Vasquez disputatione prima de Matrim. capite primo, numero primo in fine intelligit obligationem conjugum, servandi sibi mutuo fidelitatem in thoro; æquo enim jure, inquit ille, ad hoc tenetur maritus & uxor. Dicitur præterea: Divinum & humanum jus; quia utroque jure conjuges ad fidelitatem servandam tenentur. Ita Vasquez. At vero Palud. 4. distinct. 26. questione prima, articulo secundo, sic interpretatur; quia conjuges debent esse ejusdem Sectæ, aliàs nullum Matrimonium erit.

Sed hæc explicationes non placent Pontio, qui idem putat Matrimonium dictum esse, Divini juris communicationem, & uxorem, Divinæ domus sociam, ut loquitur l. 4. Cod. de Crimine exp. hæredit. quia uxor transibat nubendo in mariti privata sacra, ut ex Plutarchi præceptis connubialibus, & Macrobio lib. 1. Satur. cap. 15. Halicarnasæo libro 2. Antiq. Roman. facile colligitur. Idem autem Matrimonium dictum esse, Humani juris communicationem, & uxorem, Humane domus sociam; quia uxor sequitur domicilium & forum sui mariti, & omnem dignitatem a marito accipit, eamque vidua retinet, donec transeat ad secundas nuptias.

Hæc pro explicatione illius definitionis, quam, teste Pontio supra num. 9. reprobat Card. Zabarella Rub. de Sponsalibus num. 1. eò quod videatur esse communis etiam brutis. Sed immeritò, cum neque bruta consuetudinem habeant, neque indivisam societatem, neque etiam sit inter ea conjunctio, id est, conjunctionis obligatio, que inter bruta esse non potest.

Si autem à me queritur, à quo hic contractus sit institutus? Respondeo citius:

Tiraquellus.

L. 26. C. de Nupt.

L. 1. ff. de Jure dotium. Cuiacius; Durandus;

65. Explicatio hujus particule: Divini & humani juris, ex Vasquez, & Palud.

66. Explicatio Pontii. L. 4. Cod. de Crimine &c. Plutarchus, Halicarn.

67. Hac definitio Matrimonii non competit brutis. Zabarella.

CONCLUSIO II.

Contractus Matrimonii institutus est à Deo in primis parentibus, ante peccatum.

68. **P**Ræmitto cum Scoto 4. dist. 26. q. un. n. 2. Ad procreandam prolem, debite educandam, marem & feminam vinculo indissolubili sibi mutuo copulari & obligari, honestum est. Probat id Scotus ibidem num. 3. Quia hominem velle procreare prolem in specie humana, est actus recte circumstantionabilis. Hoc probatur; quia non est actus de se malus, ut non possit recte circumstantionari, sicut est dare alienum. Probatur; tum, quia non magis secundum naturalem inclinationem est, quod alia animalia conservent suam speciem, quam homo suam; immò tanto magis ipse, quanto ista species est perfectior: non autem potest salvari regulariter in illo statu mortalitatis, nisi per propagationem: tum, quia si homo esset immortalis, adhuc secundum rectam inclinationem naturæ, competeret sibi communicare perfectionem suam eo modo, quo esset sibi possibile; hoc autem est propagando: tum 3. ex creditis, quia de illicito non datur præceptum; sed Gen. 1. & 9. datur præceptum de propagatione: Crescite & multiplicamini. Tum quarto; quia honestum est agere ad reparationem ruinae Angelicæ, & reparationem illius civitatis superne Jerusalem, secundum prædestinationem divinam, sed electi, prædestinati ad reparandum ruinam illam, non producuntur communiter in esse, nisi per propagationem; ergo &c.

69. **E**t sic patet (prosequitur Doct. Subt.) quod iste actus non est de se malus, sed nec de se est sufficienter bonus bonitate morali; quia nullus actus est sufficienter bonus moraliter ex ratione agentis vel objecti, nisi amare Deum, quod non potest esse contra rectam rationem; immò necessarium est secundum rectam rationem, quod talis actus tendat in tale objectum; hoc autem est, quia objectum est finis ultimus, secundum se volendus, & à quolibet ordinato ad finem illo modo, quo potest finem amare; sed procreare prolem, patet, quod non est finis ultimus, sed aliquid ordinatum vel ordinabile ad finem; & per consequens, potest homo recte, & non recte ordinare illud in finem: ergo est actus circumstantionabilis rectis circumstantiis.

70. **R**ogas Scorum, quæ sint istæ rectæ circumstantiæ? Respondet n. 4. Prima circumstantia requisita ad bonitatem moris istius actus, est circumstantia finis, sicut universaliter est in moralibus: & est ista; velle procreare prolem, religiose educandam, ad ampliandum cultum divinum. Hoc probatur

per rationem; quia perfecta operatio humana est finis hominis 1. Ethicorum: ad finem autem debent alia ordinari: ergo ad hunc finem debet quilibet velle prolem. Ista probatur ex creditis; quia quilibet debet sic diligere proximum ex Charitate, sicut seipsum, id est, ad idem: sed quilibet debet diligere se ad honestam conversationem, & divinum cultum: ergo & proximum suum, & maxime prolem, cui specialiter tenetur. Confirmatur per August. 9. super Gen. dicentem: Bonum prolis dicitur non ipsa proles, sed spes & desiderium, quo proles quaeritur, ut religiose educetur, vel informetur. Atque hæc de prima circumstantia.

Sequitur 2. circumstantia (inquit Scotus ibidem num. 5.) quæ est, quod iste actus debet esse determinatarum personarum, maris scilicet & feminae; non quod esse maris & feminae sit circumstantia, sed includitur necessarium in actu, qui est procreare prolem: sed determinatarum dico esse circumstantiam ex parte causarum agentium. Nam vaga conjunctio est contra bonum prolis, quod est finis hic intentus, contra bonum familiae, & contra bonum civitatis.

Probatio primi: Quia proles non religiose educaretur, tum ex parte parentum, quia non haberent determinatam notitiam suæ prolis, saltem pater, & ita non esset sollicitus, suæ proli debitam impendere disciplinam; nec è converso proles patri debitam reverentiam, & timorem filialem, propter quem timorem filius magis obedit patri; & magis ab eo disciplinam recipit, quam ab alio.

Probatio secundi: Quia bonum familiae consistit in aliqua firma adhesionem principalem personarum familiae, alias esset bonum vagum. Et propter hoc dicit Philof. 8. Ethic. quod homo naturaliter est animal conjugale, & domesticum; nec etiam aliqua persone diligentiam adhiberet circa necessaria sibi mutuo, & proli; ergo.

Tertium probat Scotus num. 6. Quia amicitia civium ut plurimum est ex determinato propinquitate in certo gradu, sed ibi nulla esset propinquitas nova certis, quæ esset causa amicitia: ideo propter ista recte reprehendunt Arist. politium Socratis 3. Pol. quia pro statu naturæ lapidum multo melior est illa, quam ipse ordinat, & pro omni statu fuisse contra rectam rationem vaga conjunctio maris cum femina.

Addit Scotus aliam probationem hujus circumstantiæ ex Script. sacra: Nam Gen. 2. dicitur: Erunt duo in carne una. Et Christum eadem dicit Matth. 19. Et Apost. 1. Corint. 7. Unusquisque suam uxorem habeat propter vitandam fornicationem. Et est, quod ista determinatio non probaretur per rationem naturalem, esse simpliciter necessariam; ita quod ejus oppositum repugnat manifeste rationi naturali; saltem hæc affirmativa satis patet secundum rationem naturalem, scilicet quod honestum est personis sibi invicem esse determinatas ad actum illum.

illum. Hucusque de tertia circumstantia.

Sequitur tertia: Scilicet, quod per personas istas sibi invicem ad istum finem vinculo indissolubili obligari, honestum est. Hoc probatur ex præcedenti: quia si determinatio ad commorandum & mutuo serviendum, valet ad debitam proles educationem, & ad bonum familiæ, & civitatis, multo magis ad hoc valet perpetua adhæsiō determinatarum personarum ad invicem; non autem perpetuò adhærent sibi propter multas occasiones, & displicentias occurrentes, nisi ad talem adhesionem essent sibi invicem vinculo indissolubili obligatæ.

Et esto, quod non posset probari ista Conclusio (quæ principalis est in isto articulo) esse simpliciter necessaria, ex ratione naturali evidenter: probatur tamen sic ut propostita est; primò, quòd marem & feminam sic obligari ad talem finem, est honestum, & rationi naturali consonum.

Et ex hoc patet solutio cujusdam questionis; an talis obligatio sit de lege naturæ; quia sicut dictum est supra à dis. 17. propriissime de lege naturæ est principium practicum per se notum, & conclusio demonstrativè descendens ex tali principio: secundariò autem de lege naturæ, est verum evidenter consonum talibus principiis, & conclusionibus, licet non necessario sequens; & hoc modo marem & feminam obligari ad finem prædictum, est de lege naturæ.

Ergo ex mente Scoti, Matrimonium, ut de facto est institutum, putà per modum vinculi indissolubilis inter determinatas personas, non est juris naturæ, strictè accipiendò illud jus, quasi illud vinculum foret necessarium ex ratione naturali evidenter; sed latè tantum, quia maximè consonum naturæ rationali, & idè ab initio à Deo hominibus inspiratum, non aliis, quàm primis parentibus, qui primò omnium talem contractum celebrarunt, idque ante peccatum. Ac proindè dici potest, Matrimonium, ut de facto institutum, simpliciter esse juris Divini positivi.

Audiamus Scotum supra num. 9. Nulli, inquit, obligarent se communi obligatione, saltem difficili, nisi ad hoc esset aliquid astringens, vel sicut lex naturæ, vel sicut lex positiva divina vel humana. Lex enim naturæ, estsi obliget ad indissolubilitatem vinculi prædicti, præmissis tali contractu, tamen non lex naturæ evidentissima, sed secundo modo dicta; illud autem quod non est de lege naturæ, nisi 2. modo, non est omnibus manifestum; ergo expedit necessitatem illius præcepti a lege Divina determinari.

Ubi non tantum agit de præcepto contrahendi; sed maximè de præcepto indissolubilitatis; ut proinde, tamen concederemus, contractum Matrimonii esse juris naturalis strictè, haud equidem concedendum foret, etiam indissolubilitatem eodem jure obligare. Loquitur autem Conclusio nostra de contractu

Matrimonii, prout de facto obligat, id est, prout obligat indissolubiliter.

Pergit Doct. supra: Esto etiam, quòd ad hoc obligaret præceptum legis naturæ, primo modo dictæ, putà principium practicum manifestum vel conclusio, adhuc expedit ponere ad hoc præceptum divinum; quia minus obediunt homines soli legi naturæ, quam Deo præcipienti, quia minus timent & reverentur conscientias proprias, quàm auctoritatem divinam. Nec expedit determinationem istam primo modo fieri à lege positiva humana, quia leges positivæ humanæ variæ sunt apud diversos: ista autem indissolubilitas debet esse uniformis apud omnes.

Interrogas Scotum, ubi hoc præceptum divinum positum sit? Respondet n. 10. Vbi hoc præceptum Gen. 2. & Matth. 19. ubi Christus allegat, Deum dixisse, quod Adam protulit Gen. 2. quia dixit per os Adæ, ut præconis, & ideo dixit, Deum conjunxisse, supple marem & feminam conjunctione Matrimoniali; quia præcepto, quod protulit per os Adæ dicens: Adhærebit &c.

Idemque docet Conc. Trident. sess. 24. de Matrimonio in principio: Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum, primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & conjungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tamquam à Deo prolata, referens dixit: Itaque jam non sunt duo, sed una caro: statimque ejusdem nexûs firmitatem, ab Adamo tanto antè pronuntiatam, his verbis confirmavit: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

Ubi nota primò ly Divini Spiritus instinctu; ergo non ex solo lumine naturæ, cum id non soleat specialiter vocari: Instinctus Divini Spiritus, tamen si alioquin à Spiritu divino illud lumen naturæ inditum fuerit.

Nota 2. hæc verba: Firmitatem, ab Adamo tanto antè pronuntiatam: non dicitur Institutam, sed: Pronuntiatam, sive promulgatam per Adamum, veluti per præconem, ut loquitur Scotus supra, per præconem, inquam, Dei, qui illam instituit.

Igitur contractus Matrimonii, prout de facto institutus, id est, cum illa circumstantia (ut eam vocat Scotus) indissolubilitatis, non est juris naturæ strictè sed latè tantum, ut supra explicatum, adeoque absolute juris divini positivi; sicuti, secundum Scotum, sunt omnia præcepta 2. tabulæ, excepto eo: Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Unde sicut Deus, secundum Doct. Subt. potest dispensare in illis præceptis 2. tabulæ, de quo in Tract. de Legibus, ita etiam potest

77. Præcepto naturali expedit apponi positivum divinum.

78. Vbi hoc præceptum divinum positum sit? Respondet n. 10. Vbi hoc præceptum Gen. 2. & Matth. 19. ubi Christus allegat, Deum dixisse, quod Adam protulit Gen. 2. quia dixit per os Adæ, ut præconis, & ideo dixit, Deum conjunxisse, supple marem & feminam conjunctione Matrimoniali; quia præcepto, quod protulit per os Adæ dicens: Adhærebit &c.

Et Concil. Trident. sess. 24. de Matrimonio in principio: Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum, primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

79. Lumen naturæ non solet vocari instinctus divini Spiritus.

80. Deus potest dispensare in indissolubilitate Matrimonii.

dispensare, & censetur dispensasse olim cum Israelitis in illa indissolubilitate Matrimonii.

Scotus. Gen. 2. 3. & 9. Juvabit rursum audire Scotum supra n. 18. Per hoc, inquit, patet ad questionem istam applicando; contractus siquidem Matrimonii institutus est à Deo ante lapsum Gen. 2. Hoc nunc os ex offibus meis. Et, Crescite & multiplicamini. Et post lapsum Gen. 3. Multiplicabo conceptus tuos & ærumnas, dixit Dominus Eva. Et Gen. 9. Crescite & multiplicamini.

Verum ibi potius loquitur de præcepto contrahendi, quam de natura ipsius contractus; nam statim subditur: Et est institutio per modum præcepti affirmativi, ita quod obligat semper, sed non ad semper, sed tempore necessitatis.

81. Hac indissolubilitas juve Divino completur.

Porro de natura, aut quasi natura contractus, videtur loqui infra eodem n. dicens: Secundum, scilicet obligationem indissolubilem, instituit Deus ex lege sua positiva Gen. 2. Adhærebit uxori suæ. Adhærebit, inquam, id est, non momentaneè accipiet. Instituit etiam imprimendò legem naturæ, non solum quantum ad evidenter necessaria ex lege illa, sed quantum ad evidenter consona illi legi... Et illud præceptum secundum habet vim negativam, quia obligat semper, & ad semper, nisi per Legislatorem fiat specialis dispensatio.

C. 1. de Reg. juris.

Et verò, nisi à Deo aliter fuisset institutus hic contractus, non videtur, quod fuisset insolubilis; nam Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, cap. 1. de Reg. Juris. Ubi Gloss. verb. Omnis res: Potest, inquit, exponi, id est, omnis obligatio sive contractus, quod enim consensu contrahitur, contrarià voluntate dissolvitur C. Quando li. ab em. di. l. 1. Etenim quod consensu contractum est, contrariæ voluntatis adminiculo dissolvitur. Et ff. de Reg. Juris: Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est.

L. 1. C. Quando &c.

Non fuit omnino necessaria.

Sicut ergo alii contractus ex natura sua solubiles sunt ab his, qui contraxerunt, sic etiam contractus matrimonialis fuisset absolute solubilis; quia tamen valde congruum erat, quod esset insolubilis, idè à Deo illa indissolubilitas annexa est; non autem præcisè ex principiis naturæ, quasi illa obligatio fuerit omnino necessaria ad honestatem rationalis creaturæ: quod omnes necessariò fateri debent, cum de facto Deus aliquando dispensaverit in illa indissolubilitate, stante honestate creaturæ rationalis.

82. Fuit instituta ante peccatum, ex c. us. de Voto.

Hinc Bonifacius 8. cap. un. de Voto & voto redempt. in 6. Nos igitur attendentes, quod votum solemnitas ex sola constitutione Ecclesie est inventa: Matrimonii vero vinculum ab ipso Ecclesie Capite, rerum omnium Conditorè, ipsum in paradiso, & in statu innocentie instituentè, unionem & indissolubilitatem accepit &c. Ubi Gloss. verb. In statu innocentie, ait: Id est, ante

peccatum Et nota contra illos, qui dicunt, Matrimonium fuisse institutum per hæc verba: Crescite & multiplicamini: sed ut vides in paradiso & ante peccatum institutum fuit: & per illa verba protoplasti: Hoc nunc os ex offibus meis &c. Gen. 2. cap. in fine, & 27. q. 2. Lex divina. Hæc Gloss.

Sed illa verba: Crescite & multiplicamini, nonne dicta sunt in paradiso ante peccatum? Clarum est quod sic. Ergo hic nihil videretur notandum contra illos, qui dicunt, Matrimonium fuisse institutum per hæc verba: Crescite & multiplicamini Ut sit de hoc; saltem ex verbis Bonifacii habemus, vinculum Matrimonii institutum esse à Deo in paradiso ante peccatum. Si vinculum, ergo etiam contractus, ex quo oritur hoc vinculum.

Apposuit S. Aug. lib. 14. de Civit. c. 22. in principio: Nos autem nullo modo dubitamus, secundum benedictionem Dei crescere, & multiplicari, & implere terram, donum esse nuptiarum, quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit, creando mascululum & feminam, qui sexus evitatis utique in carne est. Huic quippe operi Dei etiam benedictio subjuncta est. Ubi cum ait: Quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit, non obscure indicat, Deum auctorem fuisse institutionis Matrimonii, & Matrimonium in paradiso, in quo homo erat ante peccatum, institutum esse.

Eadem fuit sententia Doct. Seraphici S. Bonaventuræ 4. dist. 26. a. 1. q. 2. n. 8. ubi sic ait: Respondeo dicendum, quod institutio Matrimonii est à Deo. Sed nota, quod quædam sunt Sacramenta, quæ sunt pure fidei, sicut Baptismus, & Confirmatio, & confirmata: quædam autem non tantum sunt Fidei, sed etiam naturalis dictaminis, & talia sunt Penitentia, & Matrimonium; sed tamen non omnino sunt de dictamine juris naturalis. Quæ primo modo sunt, Deus instituit mandando; quæ 2. modo, instituit interius illustrando, & sic instituit Matrimonium. Unde ipse non præcepit Adam, quod Evam duceret in uxorem; sed illustravit eum interius, ut intelligeret eam sibi dandam in uxorem, & omnibus posteris per liberum consensum uxores illo modo conjungi. Unde Adam sic illustratus dixit: Hoc nunc os &c. Et sic dixit Moyses in litera, propheticè est locutus. Et idè verbum illud non fuit à semetipso, sed Deo; & idè institutio hujus Sacramenti fuit à Deo.

Sed his non obstantibus, Vasquez de Matrim. disp. 1. c. 2. quem sequitur Basil. Pontius de Matr. lib. 1. c. 3. existimat hunc contractum non indiguisse aliquâ institutione Dei, vel hominis; sed fuisse omnino juris naturæ, & ex principiis solius naturæ cognitus, & licitus.

Pro quo notat Vasquez supra in principio, tria in Matrimonio esse distinguenda. Primum, institutio illius in genere contractus hu-

humani. Alterum est, contractus ipse initus, seu celebratio illius. Tertium est, præceptum impositum hominibus, seu benedictio, à Deo ipsis concessa, ut Matrimonio inito uterentur.

86. Si de primo sermo sit, existimo (inquit Vasquez) Matrimonii institutionem non voluntate humana, neque divinâ liberè factam fuisse, sed naturali jure & ratione constare; nam institutio Matrimonii nihil aliud est, quàm ipsa ratio & essentia contractûs Matrimonii secundum se, ad quem in eundem jus seu facultas unicuique convenit: sicut institutio contractûs venditionis, aut alterius, est ipsa substantia & natura contractûs secundum se, ad quam quisque facultatem & jus habet, ut eam opere exequatur; neque enim institutio contractûs est ipsa celebratio & executio; sicut institutio Sacramenti, non est ipsa Sacramenti susceptio, sed ratio & natura Sacramenti, quam quisque reipsâ recipere potest.

Cùm igitur absque ulla libera constitutione, etiam Dei, unicuique suapte naturâ conveniat jus seu facultas Matrimonium in eundem, conficitur planè, institutionem Sacramenti Matrimonii, in ratione contractûs, naturâ ipsâ, absque ulla libera Dei voluntate, constare, cùm tamen institutio illius in Sacramentum ex solo Dei nutu ortum habuerit; nam si Deus noluisset illud in Sacramentum instituire, jus & facultas in eundem illud in ratione contractûs, omnibus quidem ex se conveniret, nulli tamen competere recipere illud, tamquam Sacramentum; quia institutio illius in Sacramentum, hoc est, ratio & essentia in genere Sacramenti, non suapte naturâ, sed ex sola Dei libera voluntate instituyente constat. Hucusque Vasquez.

87. Et quidem rationem & essentiam Sacramenti constare ex sola Dei libera voluntate instituyente, nemo dubitat; verùm etiam naturam talis contractûs ex eadem Dei libera voluntate constare, videntur Scotus & Alii existimasse. Atque inde probatur; quòd ex solis principis naturæ, Adam non potuerit cognoscere, licitum sibi esse committere carnaliter Evæ, ad propagandam speciem, cùm alio modo Deus potuerit velle conservare speciem humanam, & ob aliam rationem velle inducere illam diversitatem sexuum. Nisi ergo Deus ab initio inspirasset Adamo, se ad illam commixtionem, & propagationem per eam, illam diversitatem constituisse, ex solis principis naturæ non potuisset prudenter judicare, sibi licitam talem commixtionem; adedque nec contractum licitum, cujus finis est illa commixtio. Præsertim, cùm nullus possit rem alterius domini, alteri obligare (ut bene notat Scotus 4. dist. 26. q. 1. n. 10.) nisi de consensu vel approbatione illius,

cujus est; jam autem corpus cujuscumque, est Dei jure creationis; ergo nullus potest transferre illud in dominium alterius, nisi in quantum Deus approbat. Ergo potuisset Deus eam translationem prohibere. Ergo nisi approbasset eam, saltem negativè; id est, non prohibendo Adam, ex solis naturæ principis non potuisset prudenter judicare, eam absolute & necessariò sibi licitam; quia, sicut dictum est, Deus potuisset eam prohibere.

Dixi, saltem negativè, quia (ut advertit Scotus supra) licet homo ex creatione teneatur Deo in omnibus, quæ potest; Deus tamen non tantum exigit ab homine, sed dimittit eum libertati suæ; solummodo exigit, ut servet præcepta decalogi. Unde potest quis se vendere in servum, licet de hoc non invenitur specialis approbatio divina in Scriptura, in qua venditione ira transfert potestatem sui corporis in alium, sicut in contractione Matrimonii. Consimiliter patet de translatione domini omnium suarum rerum. Et tota ratio est; quia, in quibus Deus non obligat sibi hominem, vel sua, relinquit ea voluntati hominis.

Itaque Deus instituit in paradiso contractum Matrimonii; non solum, quia primi parentes ex ejus inspiratione contraxerunt, vel quia ipse est auctor naturæ, & contractum ipsum, qui jure naturæ constat, facere dicitur, tam in his, qui bene, quàm in his, qui malè contrahunt, legitimè tamen (prout Pontius supra n. 7. explicat Scotus, D. Bonnav. & alios Auctores Scholasticos) sed etiam, quia primi parentes ex inspiratione Dei cognoverunt, diversitatem sexuum à Deo ordinatam ad finem conservandi speciem per propagationem, & ideò licitum sibi esse, ad usum conjugalem transferre potestatem sui corporis in alium, quod aliàs non licuisset.

Hanc autem ordinationem seu voluntatem divinam significavit Adam illis verbis Gen. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis &c. quibus tamquam præco Dei promulgavit legem Matrimonii seu contractum, juxta Scotum supra, sibi à Deo specialiter inspiratum. Fortè etiam eisdem suum consensum expressit, & Eva similibus respondit, quibus etiam suum consensum indicavit, ut vult Pontius sup. n. 6. Si autem à me quaeritur; an necessariò requirantur verba ad celebrationem hujus contractûs? Responso erit

Deus potuisset prohibere translationem corporum ad usum conjugalem.

88. Potest quis se vendere in servum.

89. Quomodo Deus instituit contractum Matrimonii in paradiso.

Gen. 2.

CON-

CONCLUSIO III.

Signum externum, quod requiritur ad contractum Matrimonii, non necessario est vox.

90.
An signum
in contractu
Matr. neces-
sario debeat
esse vox.

Non sufficere consensum merè internum; sed insuper necessarium esse signum aliquod extrinsecum seu expressum, li- quid constat ex dictis Concluf. 1. Porro dubitatur & controvertitur inter DD. an istud signum in contractu Matrimonii necessario debeat esse vox, an verò sufficiat nutus, vel aliud signum reale æquivalens; sufficiat, inquam, tam ad rationem contractus, quam Sacramenti; tam ad licitum, quam ad validum contractum seu Sacramentum; sive in his qui loqui valent, sive in illis, qui elingues sunt. Varii variè de hac re censuerunt, ut videre est apud Sanchez lib. 2. disp. 31. & Basil. Pont. l. 2. c. 7.

Sanchez,
Pontius.

91.
Non debet
esse ex iure
naturali.

Conclusio nostra, quæ communior est, intellecta tam de licito, quam de valido contractu & Sacramento, sive in his, qui loqui valent, sive in illis, qui elingues sunt, probatur; quia nullo iure potest ostendi necessitas signi vocalis. Nam in primis; certum est, jus naturale non magis postulare verba ad hunc contractum, quam ad quoslibet alios. Quæ enim sufficiens ratio disparitatis? Quippe idè tantum jus naturale requirit signum externum, ut consensus internus alteri parti possit innotescere; jam autem per nutus, & alia signa realia, æquè innotescit hic consensus, atque per verba propriè dicta.

Quare regulariter
utitur
verbis in
contractibus.
D. Aug.

Interim regulariter, qui possunt uti verbis, eis utuntur tam in hoc, quam in aliis contractibus; quia illa magis ordinata sunt ad exprimendos actus internos intellectus & voluntatis, teste D. August. lib. de Doct. Christiana c. 3. ibi: *Verba enim prorsus inter homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur, si ea prode- re quisque velit. Et rationem post pauca subiungit: Nam & illa signa omnia, quorum genera breviter attingi, potui verbis enuntiare, verba verò illis signis nullo modo possum.*

92.
Potuisset
Ecclesia præ-
scribere cer-
ta verba in
hoc contra-
ctu pro his
qui loqui
possunt.

Quod atinet ad jus positivum, procul dubio istud potuisset præscribere certam formam verborum pro his, qui loqui possunt, sive ad validum, sive ad licitum contractum, prout præscribit certam formam verborum, sine qua stipulatio non valet, Infit. de Verb. oblig. in principio: *Verbis obligatio contrahitur ex interrogatione, & responsione, cum quid dari scribere nobis stipulamur... in hac re olim talia verba tradita fuerunt. Spondes? Spondeo. Promittis? Promitto. Fide promittis? Fide pro-*

mitto. Fide jubes? Fide jubeo. Dabis? Dabo. Facies? Faciam. Item l. 5. ff. de Verb. oblig. ibi: *Stipulatio autem est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum facturumve se, quod interrogatum est, responderit.*

Simili ergo modo potuisset Ecclesia præscribere certam formam verborum, contractui, & Sacramento Matrimonii adhibendam, saltem sub peccato, ab omnibus illis, qui possent eam commodè adhibere; immò etiam necessariam ad valorem; sicuti præscripsit alias condiciones, quæ ex jure naturæ non requiruntur. An autem præscripsit, hoc est quod queritur, & non præscripsisse, videtur probari ex Conc. Florent. in Decret. Eugen. ibi: *Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesie secundum Apostolum. Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutus consensus per verba de presenti expressus.*

Ubi nota ly *Regulariter*; quod non additur in aliis Sacramentis, sed in eis Pontifex simpliciter requirit certam formam verborum, ut pater ex textu. Idem ergo hic fecisset, si talis forma foret absolute necessaria ad valorem Matrimonii. Dixit autem; *Regulariter per verba*; quia hic est communis modus contrahendi Matrimonium, & maximè conveniens, quando commodè possunt verba adhiberi.

Præterea: cap. *Tuæ fraternitati*, 25. de Spons. Innoc. 3. interrogatus, an ex solis verbis, & ex quibus Matrimonium contrahatur. Respondit: *Quòd Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum, sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de presenti. Nam surdi & muti possunt contrahere Matrimonium per consensum mutuum sine verbis. Ubi Gloss. verb. *Verba*. inquit: *Licit enim solo consensu contrahatur Matrimonium sine verbis, ut in mutis sup. eod. Cum apud istum in his, qui loqui possunt, non contrahatur sine verbis, per quæ exprimat consensus, quæ ad hoc inventa sunt, 22. q. 2. Is autem qui per aliquid aliud, puta ipso facto, per quod intelliguntur consentire, contraheret Matrimonium; sicut dixit lex de fideicommissis, quòd nuda relinqui possit, dum tamen possit loqui. Cod. de Fideic. l. Et in ep. ff. de Leg. 3. Nutu. Hec Gloss. Ubi aperte docet nostram sententiam, scilicet sufficere nutum ad Matrimonium, etiam in his, qui loqui possunt. Unde & subiungit: *Si tamen parentes contrahant pro filiis presentibus, sufficit nutu eorum taciturnitas, 32. q. 2. Honorantur. ff. de Spons. Sed ea quæ patris Et idem credo, ff. per alios contrahatur. Subsequenti annuli subarrhatione.***

Accedant sequentia jura. c. *Veniens* 2. c. *Is* de hiis qui fidem, & cap. fin. de Sponsal. in quibus discernitur, Iponfalia de futuro, subsecutà copulâ,

pulā, transire in Matrimonium. Quod indubie intelligendum est, etiam in iis, qui loqui possunt. Neque refert; quod forte verba præcesserint in sponsalibus; quia & hæc non requiruntur ad valida aut licita sponsalia; ac aliunde illa verba non expriment consensum matrimoniale, de quibus verbis hic solum agitur.

Respondent Aliqui: illa jura & similia (quæ videri possunt apud Pontium supra numero octavo) solum probare, quod in casibus, à jure expressis, valeat Matrimonium sine verbis. Interim propter duo priora jura, id est, propter decretum Eug. & cap. *Tuæ Fraternalitati*, dicunt, extra illos casus non valere. Et hanc sententiam dicit Pontius supra numero quarto, magnam habere probabilitatis speciem. Quippe cum Eug. dicat, causam efficientem Matrimonii, esse consensum expressum regulariter per verba, rectè exinde inferri videtur: ergo aliquando necessaria sunt verba; aliàs hoc Sacramentum neque regulariter constaret verbis, sed sine illis tempus posset perfici. Cum ergo Eug. non semper, sed regulariter verba postulaverit, & sic limitaverit eam universalem propositionem, quam initio dixit, scilicet Sacramenta perfici verbis ut formā, necesse est dicere, regulariter loquendo, id est, nisi in casibus à jure expressis, verba necessariò requiri pro forma Matrimonii.

Explico & urgeo magis: Si Eug. non diceret absolute, in Sacramento Pœnitentiæ formam esse verba, sed *Regulariter*; nullus assereret, in nullo casu esse necessaria verba, scilicet quando præsentem ministratur. Item; si in Sacramento Matrimonii non adhibuisset illam particulam, *Regulariter*; nullus diceret, non esse necessaria verba. Ergo cum solum indicaverit aliquos casus excipi, planum relinquit, in aliis necessaria esse: ita ut sententia Eug. huic æquivaleret: *Verba necessaria sunt in Matrimonio, sicut in aliis Sacramentis, nonnullis casibus exceptis, qui à jure exprimmuntur.* Ita Pontius sup. n. 4.

Quantum attinet ad cap. *Tuæ Fraternalitati*, licet hoc asserat, posse esse Matrimonium sine verbis, ut in mutis: attamen de loquentibus inquit, verba esse necessaria quoad Ecclesiam. Quibus id tantum velle videtur, ex Ecclesiæ institutione esse necessaria verba in illis. Nomine autem verborum eo loco non possunt intelligi signa æquipollentia: agit enim de verbis, ut distinguuntur à signis: inquit enim, nec verba sine consensu sufficere, ut in pueris; neque consensum sine verbis inutilem, quia muti sine verbis contra-

hunt: in aliis autem ex Ecclesiæ constitutione esse necessaria, cum id optimè statuere potuerit Ecclesia. Ita arguit Pontius supra num. 3. pro illa sententia, quam adscribit Innoc. & Joan. Andræ in dict. cap. *Tuæ*.

Sed propterea non est recedendum à communi sententia; nam facilis est responsio, in primis ad decretum Eug. ly, *Regulariter*, non referri ad casus jure expressos vel non expressos; sed ad omnia Matrimonia, quæ secundum communem modum agendi hominum verbis contrahuntur, quamvis per accidens aliter contrahi possint, & subinde contrahantur. Igitur ex illo verbo colligi non potest, in aliquo saltem casu verba esse necessaria; sed solum colligitur vel verba, vel aliud signum æquivalens esse necessarium. Et idem dicendum esset, si in forma Pœnitentiæ dixisset Pontifex, eam regulariter per verba fieri debere; diceremus, inquam, non semper verba, neque semper nutus aut litteras, sed unum vel aliud esse necessarium. At quia in eo Sacramento absolute & sine limitatione dixit, verba esse formam; hinc nullā ratione, ut vidimus suo loco, sine periculo erroris affirmari potest, Absolutionem posse dari in scriptis; estd etiam absens absolvi possit; quod tamen falsum est, ut alibi ostendimus.

Sanè verosimile non est, quod si verba essent necessaria sive ad valorem contractus, sive ad valorem Sacramenti, saltem in aliquo casu, Pontifex id tacuisset, qui exactè in unoquoque Sacramento formam & materiam explicuit. Neque credibile est, Matrimonium aliter evectum esse ad rationem Sacramenti, nisi spectatum secundum id, quod in ratione contractus habet inter homines, ne multi in multis casibus frustrarentur effectu Sacramenti. Hæc satis circa decretum Eug.

Venio ad cap. *Tuæ Fraternalitati*, ad quod responderetur primò, ly *Necessaria*, posse accipi pro ly *Utilia*, ut sensus sit, utile esse in ordine ad Ecclesiam, quod Matrimonium verbis contrahatur, quia sic facilius probatur contractum; argumen. l. 4. ff. de Fide instrument. sequentis tenoris: *In re hypothecæ nomine obligata, ad rem non pertinet, quibus sit verbis; sicut est & in his obligationibus, quæ consensu contrahuntur. Et ideo & sine scriptura, si convenit, ut hypothecæ sit, & probari poterit, res obligata erit, de qua conveniunt. Fiunt enim de his scripturæ, ut, quod actum est, per eas facilius probari possit. Et sine his autem valet, quod actum est, si habeat probationem, sicut & nuptiæ sunt, licet testatio sine scriptis habita est.* Ergo consimiliter, quamvis per verba facilius probari possit Matrimonium, sine his ta-

C c men

98.
Resp. ad Decret. Eug.

99.
Prima resp. ad d. cap. 25.

men valet quod actum est, si habeat probationem, sicuti habere potest.

100. Verùm (inquit Pontius supra numero undecimo) ut magis retineamus proprietatem vocis *Necessarium*, addamus duplex esse Matrimonium, aliud præsumptum, quod ex facto ipso præsumitur, & probatur, scilicet ex secuta copula vel cohabitatione aut traductione; cap. *Ad id*, cap. *Is qui fidem*, cap. *Per tuas*, & cap. *Ilud*, de Sponsal. & in hoc non est quod laboret Judex, ut aliam probationem requirat, cum sufficiat eam prædictis casibus ab ipso jure induci. At in Matrimonio vero, consensum legitimum verbis probandum esse, quæ prolata sint, & testes audierint. Itaque verba dixit necessaria esse ad probationem veri Matrimonii, non præsumpti. Ex eo autem, quòd ad probationem necessaria sint, colligitur suppleri posse, ut in mutis & absentibus, per æquipollentia. Ita Pontius.

101. Sanchez autem supra num. 5. potiùs adheret primæ responsioni, dicens: Consultus ibi Pontifex, an verba sint necessaria ad Matrimonium; Respondet, solum consensum legitimum requiri, & non intelligit de consensu interno, sed de consensu explicito verbis vel signis; quod manifestè probatur ex veris. *Nam & mutus*; ibi enim assignans rationem ad comprobandum, solum consensum satis esse, sic ait: *Nam & mutus sine verbis potest contrahere*; si enim non intellexisset, solum consensum, verbis vel signis explicitum, sufficere, ille versiculus non benè corresponderet præcedentibus, nulliusque rei rationem redderet.

Nec obstat Pontificem addidisse, verba esse necessaria quoad Ecclesiam; quia non credendum est, statim Pontificem se correxisse, juxta l. *Non ad ea*. ff. de Condit. & demonst. eò vel maximè, quia non dixit, absolute esse necessaria verba; sed quoad Ecclesiam, hoc est, quoad faciliorem probationem in foro externo Ecclesiæ. Hæc ille.

102. Aliqui per verba in isto jure etiam intelligunt alia signa æquipollentia. Sed contra facit; quòd, ut supra insinuavimus, jus illud distinguat inter Matrimonium contractum per verba, & inter Matrimonium muti, quod tamen etiam debet fieri per alia signa æquipollentia.

Sanchez. Respondet Sanchez supra num. 6. negando illud discrimen statui; sed Pontifex, inquit, statuere voluit, non esse necessaria verba, idque probat, eò quòd muti absque verbis contrahere possint.

103. Deindè censent nonnulli apud Sanchez supra in principio: Pontificem eo cap. non

constituere novum jus, eò quòd privatæ Pontifici consultationi respondeat. Sed hæc solutio displicet Sanchio; veriùs enim est, inquit, Pontificem in responsione consultationi privatæ, legem generalem constituere, ut constat ex cap. 1. dist. 19. ex quo liquet, Epistolam Pontificis, aliquod dubium interpretantem, censendam esse decretalem; & docet Gloss. cap. *Ex tua*, verb. *Consultationi*, de Filiis Presbyterorum. Constat etiam ex l. fin. Cod. de Legibus. Ita Sanchez cum Aliis, quos citat.

Subscribo verba leg. fin. *Si Imperialis L. si C. Majestas causam cognitionaliter examinaverit, & partibus cominus constitutis, sententiam dixerit, omnes omnium Judices, qui sub nostro imperio sunt, sciant banc esse legem non solum illi cause, pro qua producta est, sed & omnibus similibus. Accedant verba Gloss. Cum respondetur consultationi, jus commune ostenditur per responsionem, arg. infra de Voto & voti redempt. Ex multa. Verba cap. 1. dist. 19. non refero; quia non clarè significant intentum, nam ibi non quæritur, an Epistolæ Pontificum, aliquod dubium interpretantes, censendæ sint decretales, sed utrum decretales Epistolæ vim auctoritatis habeant, cum in corpore Canonum non inveniuntur; & resolvitur pars affirmans.*

Ex his facile erit explicare alia jura, quæ nobis objiciuntur. Atque in primis cap. *Licet*, 3. de Sponsa duorum, ibi: *Si inter virum & mulierem legitimum consensum interveniat de presentis, ita quidem, quòd unus alterum in suo mutuo consensu, verbis consuetis expresso recipiat, utroque dicente: Ego accipio te in meam: & ego accipio te in meum: Sive sit juramentum interpositum, sive non: non licet mulieri alii nubere.* Ergo si non receperit unus alterum verbis illis consuetis, licet mulieri alii nubere; ergo non valet Matrimonium sine verbis.

Respondeo; Pontifex Alexand. III. ibi solum decernit, sponsalia de præsentis, si ve Matrimonium legitime contractum, non dissolvi per sequens Matrimonium, etiam consummatum: nam sequitur: *Et si nupserit, etiam si carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, & ut ad primum redeat Ecclesiasticæ districtione compelli.* Facit autem mentionem verborum, quia illis regulariter contrahitur Matrimonium; non autem, quasi jure constitutum sit illa adhiberi. Et maximè illa verba: *Ego accipio te & c.* cum certum sit apud Omnes, sine illis, cum aliis æquipollentibus, Matrimonium valere; ergo etiam sine ullis verbis, cum aliis signis æquipollentibus.

Hinc Pontifex addidit *ly Consuetis*, ut significaret, se non determinare ista verba pro

pro forma necessaria; sed pro forma ordinaria, & indubiè sufficiente ad validum Matrimonium; an autem sine ullis verbis possit Matrimonium validè contrahi, cum aliis signis æquivalentibus, ibi non quærebatur, & ideo nihil circa hoc ibi determinatur.

106. Similiter responderetur ad cap. 1. eod. tit. ibi: *Fides autem consensus est, quando eius non constringit manum; corde tamen & ore consentit ducere, & mutuo se concedunt unus alii, & mutuo se suscipiunt.* Ubi solum dægernitur, verba sufficere, sine datione seu constrictione manûs; nullo autem pacto significatur, consensum oris esse necessarium.

107. Objicitur præterea cap. Consultationi, 28. de Sponsal. ibi: *Sanè illis, quæ benedictione accepta, mox à sponsis aufugiunt ante carnâ copulam subsecutam, asserentes, se nunquam in illos veraciter consensisse, sed metu ilato compulsus, verba protulisse consensus, &c.*

Respondetur: hic, & alibi, vel verba accipiuntur pro quolibet signo externo, sufficienter expressivo consensus interni; aut certè Pontifices narrant, quod factum fuit, & exemplificativè dumtaxat loquuntur, non verò jus constituunt.

108. Si denique aliquis nobis objiciat Matrimonium spirituale, v. g. electionem Episcopi, in qua requiruntur verba, cap. *Cum inter Canones*, 21. & cap. *Quia propter*, 42. de Electione. & alibi. Respondetur: in positivo non esse argumentandum à simili, vel à pari, nisi ad evitandum aliquod inconueniens seu absurdum. Adde; quòd professio Religiosa etiam vocetur conjugium spirituale, & tamen sine verbis, solis nutibus, aut aliis signis fieri potest; arg. cap. 4. de Regular. *Vidua si spontè velum conversionis, quamvis non sacrum, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, sanctimonie habitum ulterius debet habere: licet Sacramento firmare velit, eo tenore velamen sibi imposuisse, ut deponere possit.*

109. Quæ cum ita sint, persisto in Conclus. & dico: verba formalia seu propriè dicta non esse necessaria neque ad validum, neque ad licitum Matrimonium, siue in ratione contractus, siue in ratione Sacramenti, nequidem in illis, qui commode loqui possent, si vellet; adèd; ut, per se loquendo, non peccent, ne quidem venialiter, tamen si sine verbis contrahant; quia ubi non est lex, nec prævaricatio, teste Apostolo Rom. 4. v. 15. Omne autem peccatum propriè dictum, est, prævaricatio legis, juxta illud D. Ambr. lib. de Parad. c. 8. *Non confisteret peccatum, si in eod. dictio non fuisset.*

Dixi: *Per se loquendo*; quia per accidens, ut si ex eo, quòd non adhiberent verba, redderetur dubius contractus Matrimonii, undè scandala litelque oriri possent, foret non solum peccatum veniale, sed etiam mortale. Immo Sanchez supra num. 10. faceret simpliciter, culpam esse venialem, non exprimere verbis, sed solis signis consensum, nisi iusta causa excusaret; quia inquit, à recta ratione alienum est, in hoc gravissimo contractu non exprimere consensum commodiori modo possibili; verba autem melius & clariùs, quàm alia signa consensum exprimunt. Undè non negat Sanchez omnem legem seu quodcumque præceptum, sed tantum præceptum Ecclesiæ; sic enim incipit ille numerus: *Mihi tamen multò verius est, nullum esse de hoc Ecclesiæ præceptum, quia textus citati id non probant; solum enim narrant factum, & exemplificativè loquuntur.*

Quòd & ego suppono ex dictis; & quia nolo multiplicare peccata, etiam tantum venialia, sine solido fundamento; dico, nullum esse peccatum, nequidem veniale, contrahere sine verbis, quando aliundè contractus omninò est certò validus, ita ut nullum sit omninò periculum vel levisimi scandali, aut alterius incommodi; est enim recta ratio dicitur, conveniens esse, ut contrahatur verbis, quando id commode fieri potest; equidem contrarium esse alienum à recta ratione, id est oppositum rectæ rationi, hic & nunc obliganti, non satis video.

Sanè quamplurima sunt, quæ secundum rectam rationem convenientius fierent hoc vel illo modo, quæ tamen propter ea non sunt peccata, nequidem venialia, etiam si tali modo non fiant; v. g. etiam convenientius foret, ut sponsalia contraherentur verbis propriè dictis, quia per ipsa consensus melius exprimitur, quis tamen propter ea dixerit, si alio modo fiat, esse peccatum veniale?

Fateor, non est contractus gravissimus; sed tamen satis gravis est; ut recta ratio dicitur, planè conveniens esse, ut commodiori modo fiat. Nonnè etiam contractus, quo quis vendit se in perpetuum servum, aut renuntiat omnibus bonis tam præsentibus, quàm futuris, gravissimus est? Num ideo erit peccatum veniale sine verbis per alia signa æquivalentia eum celebrare? Immo convenientius posset videri, si celebraretur scripto, quia littera scripta manet, & sic melius per scriptum potest probari, casu quo pars vellet à contractu inuito resilire.

Itaque nisi afferatur aliud jus positivum Ecclesiæ, quòd in contractu Matrimonii

110. Per accidens potest esse peccatum mortale. Sanchez

111. Per se loquendo nullum videtur esse peccatum

112. Sicut non est peccatum sine verbis celebrare venditionem & similes contractus



præcipiat verba formalia & propriè dicta, nullum mihi apparet, per se loquendo, peccatum veniale, abique illis contrahere. Ut autem aliquid tale jus esset (quod non) solum erit peccatum veniale aliter contrahere, quia res est levis.

113. Dices: videtur aliquid tale jus reperiri in Conc. Trident. Sess. 24. de Reform. Matr. c. 1. ibi: *Si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesie procedatur; ubi Parochus viro & muliere interrogatus, & eorum mutuo consensu intellecto, &c.*

Diluitur. Respondeo: interrogatio ista non dicitur debere fieri verbis; nam & Parochus mutus possit assistere, saltem validè. Deindè; estd Parochus verbis deberet interrogare, ubi dicitur, quodd vir & mulier verbis debeant respondere? *Eorum* (inquit Conc.) *mutuo consensu intellecto*; potest autem mutuum consensum intelligere, tamen non exprimat verbis. Igitur nec ex Conc. Trident. probatur necessitas aliqua verborum, & per consequens non probatur omisio verborum peccatum; ergo ex nullo jure positivo-Ecclesie. Sed neque ex jure naturali, eo salvo, ut alia signa non relinquunt contractum dubium. Quod etiam bene norandum est in ipsis verbis, ut videlicet talia sint, quæ, abique aliqua obscuritate aut dubitatione, expriment consensum mutuum de præsentia; alioquin etiam graviter possit peccari, propter scandala & lites, quæ exinde solent oriri.

Si autem à me quaeritur, quæ sint verba certa, & quæ dubia? Respondeo citius:

CONCLUSIO IV.

Formæ verborum, quibus certò contrahitur Matrimonium, sunt hæc & similes: *Te accipio in meam:*

Ex nunc teneo te pro uxore: Ab hoc tempore servabo tibi fidem ut uxori.

Idem est, si viro dicenti: *Accipio te in meam*, ipsa respondeat; *Placet*, aut, *Consentio*. Dubia forma est: *Volo te habere in uxorem*. Item: *Habebo te in uxorem: Providebo tibi ut uxori*, si non addatur: *Ex nunc*.

114. Prima forma habetur cap. penul de Sponsal. in principio: *Si inter virum & mulierem legitimus consensus interveniat de præsentia, ita quod unus alterum mutuo consensu, verbis consuetis expresso, recipiat, utroque dicen-*

te: *Ego te in meam accipio. Et: Ego te accipio in meum.*

Secundam formam, & tertiam, habes cap. 9. eod. tit. in principio: *Ex parte C. mulieris nobis inimatam est, quod Andreas juramentum præstitit, quod eam ab eo tempore pro conjugè teneret, & ei sicut uxori suæ fidem servaret. Ipsa quoque eidem Andree juravit, se illum pro marito habituram & fidem ei tamquam viro proprio servaturam.*

Quarta forma deducitur ex prima; nam qui consentit alteri, ut accipiat in uxorem, implicite consentit eum accipere in virum, & eum in virum accipit, cum non possit esse uxor, nisi alter sit ejus vir. De his ergo formis non est relictus dubitandi locus; quia manifestè significant consensum de præsentia.

Utique & sequentes: *Teneo, vel, habeo te pro uxore, Ex nunc providebo tibi ut uxori; Volo te in uxorem*, nisi aliqua particula addatur, quæ suspendat executionem in futurum: v. g. si dicat: *Accipio te in crastinum; Volo te, aut, teneo te in crastinum*. Sicut enim fieri potest per adjunctam particulam, ut verbum futurum temporis significet consensum de præsentia, ut hic: *Ex nunc providebo tibi ut uxori*; sic etiam per adjunctam particulam fieri potest, ut verbum præsentis temporis solum significet consensum de futuro, qui non sufficit ad Matrimonium, ut constat ex supra dictis; sed tantum ad sponsalia, quæ sunt promissio futuri Matrimonii.

Diligenter ergo attendendum est, an verba, quibus consensus exprimitur, sive per se ipsa, sive ex aliis circumstantiis, significant consensum de præsentia; an verò solum pro tempore futuro; ut fieri possit, quando constituant Matrimonium, quando autem solum sponsalia. Et hinc dubitatur de his formis: *Habebo te pro uxore; Providebo tibi ut uxori*, & similibus, sic solitariè prolatis, an constituant Matrimonium, an verò solum sponsalia; quia dubitatur, an significant consensum de præsentia, an verò solum consensum de futuro.

Equidem significare consensum de præsentia, existimat Pontius l. 2. c. 9. n. 4. & probat primò; quia in cap. *Si quis divinis*, 30. q. 5. valere dicitur Matrimonium ejus, qui juravit, se habiturum in uxorem. Hæc sunt verba textus: *Si quis, divinis talibus Scripturis, juraverit mulieri, legitimam se eam uxorem habiturum, vel si in oratorio tale sacramentum dederit, sit illa legitima uxor; quamvis nulla dicitur scriptura alia interposita sit.* Quem textum descripsit Gratianus ex Novella Constit. 74. c. 5.

Nec verò ejus vim excludit Tho. Sanchez, secutus Gutierrez & Alios, cum inquit, (lib. 1. disp. 18. n. 2.) non esse de-

cretum Pontificis, nec alicujus Sancti; sed esse desumptum ex Authent. Quibus modis naturales efficiantur legitimi, §. Quoniam autem, collat. 6. & solum à Gratiano inferri, nec esse ab aliquo Pontifice confirmatum; tunc enim solum leges, in Decreto. relatæ, censenter vim Canonis obtinere, quando in Canone aliquo Pontificio insertæ fuerint.

Sed neque Joannes Gutierrez (inquit Pontius) neque Thomas Sanchez satis hujus argumenti robur percepisse videntur, quod bonâ eorum veniâ dixerim; non enim eo utimur, quasi lege confirmatâ à Pontifice, aut robur legis obtinente; sed tamquam explicante vim naturalem consensûs, his verbis explicati. Cùm enim Ecclesia non determinaverit externa signa in hoc contractu, ad explicandum consensum; planum est relinqui in dispositione contractûs naturalis, juxta communem modum loquendi, & significandi; & illa signa, quæ satis sint explicando consensui, satis erunt ad perficiendum; Imperator autem, non aliquid disponens, sed explicans horum verborum significationem & vim, decernit illa habere significationem, & executionem de præsentî.

Adde; etiam dispositionem civilem, ubi non obviat Ecclesiasticæ constitutioni, pondus habere, tamquam quæ optimè explicet naturam contractûs, circa quem nihil Ecclesiæ decrevit. Quod non tam citò obvisci debebat Tho. Sanchez, cùm hanc eandem doctrinam docuisset eod. lib. 1. disp. 6. n. 24. juxta textum in c. 11. de Novi oper. nunt. Hactenus Pontius.

Respondeo ego pro sententia Sanchez; ex illa Novella (quam Pontius non videtur satis expendisse, si tamen propriis oculis legerit) nullatenus eam improbari; nam Imperator non decernit, ista verba solitariè spectata habere significationem & executionem de præsentî; sed attentâ mutuâ habitatione, & fortè procreatione filiorum; quæ utique procreatio, & cohabitatio satis indicant animum contrahendi de præsentî, quàmvis verba ista ex se illum animum non significarent; sicut olim, secundùm jus commune, sponsalia per copulam transibant in contractum de præsentî; jam autem sententia Sanchez est, illa sola verba non sufficere, nisi aliquid addatur ante vel post, quod magis significet consensum de præsentî.

Ne autem gratis id dicere videar, subjungo ipsissima verba Novellæ, quæ sic incipit: Quoniam autem interpellationibus, quæ nobis sunt semper, omnium tamen assidue mulieres avidius ingemiscunt & dicentes, quia quidam, earum concupiscentiâ detenti, ducunt eas in domibus suis, sacra tangentes eloquia, aut in orationis domibus jurantes, habituros se eas legitimas uxores: taliter eas habentes tempore multo,

& fortè suscipientes filios: deinde cum se satiaverint earum desiderio, aut extra filios aut cum filiis eas projicientes de suis domibus: judicavimus etiam hoc oportere sancire: ut si mulier ostendere poterit modis legitimis, quia secundùm hanc figuram vir eam acceperit domi, ut eam uxorem legitimam haberet, & filiorum legitimorum matrem: nequaquam penitus licentiam esse ei, hanc de domo præter ordinem legis expellere, sed habere eam legitimam &c. Ergo per hæc verba solitariè spectata: Habebo te pro uxore, contrahitur legitimum Matrimonium; quomodo id rectè sequitur ex ista Novella?

Omitto; quòd fortè istud juramentum tantùm fuerit confirmatorium contractûs Matrimonialis, qui præcesserat, celebratus verbis consuetis: Ego te accipio in meam, aut similibus, de quibus nullum poterat esse dubium, quin significarent consensum de præsentî.

Igitur propter hoc argumentum Pontii, desumptum ex illa Novella, non est recedendum à sententia Sanchii supra n. 18. & Aliorum, quos citat, existimantes hæc verba solum perficere sponsalia; quoniam possunt omninò intelligi vera, quàmvis modò non habeam eam pro uxore, sed tempore futuro; ergo non significant consensum de præsentî. Unde hæc locutiones sunt æquivalentes: Pro aliquo tempore futuro habebō te in uxorem; &: Habebo te in uxorem; sed prior non constituit Matrimonium, ergo nec posterior. Deinde; quia hæc verba: Habebo te in uxorem, licet statim obligationem producant, non tamen obligant ad statim exequendum; ergo non statim celebratum est Matrimonium; sed obligationi satisfiet, postea celebrando.

Contra arguit Pontius supra n. 5. Planum est in jure, in materia obligationum, si non destinetur dies in contractu, incontinenti obligationem contrahi. Sufficiat vulgaris textus l. 14. In omnibus. ff. de Reg. Juris: In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsentî die debetur. Ergo istis verbis: Habebo te in uxorem, statim contrahitur obligatio.

Id quod etiam concedit idem Th. Sanchez disp. 18. citatâ n. 18. & 21. Sed inquit, esse obligationem postea celebrandi Matrimonium; ego tamen, statim exequendi Matrimonium; quod sic ostendo, expensâ & consideratâ significatione verbi: Habendi, ut optimè ibi Abbas n. 7. Nam habere pro legitima uxore, non denotat initium contractûs, sive non idem est, atque contrahere; aliud enim est habere, aliud contrahere, sed denotat executionem Matrimonii; habere enim & tractari pro legitima uxore non potest, nisi quæ jam uxor est. Unde voluntas habendi, non omninò eadem est cum voluntate contrahendi, sed addit & supponit voluntatem contrahendi; ut si quis dicat Scholasticos

120.
Sanchez. docet, a. verba: Habebo te &c. solum perficere sponsalia, & variè probat.

121.
Contra arguit Pont. l. 14. ff. de Reg. juris.

122.
Quid significet verbum: Habendi.

Abbas.



tractari debere tamquam cives, supponit fieri cives, ut docet idem Abbas n. 2.

Atque hanc esse significationem verbi habendi, indicatur ex illo Simonis de Cassia l. 11. de Inst. Christ. c. 3. cum explicat illud Pauli: *Unusquisque uxorem suam habeat*, ibi: *Habere, est jam ducta uti, non ducere*. Cum ergo ab illo tempore oriatur obligatio tractandi tamquam uxorem, quod supponit necessario contractum, visus est in eo instanti voluisse contrahere, & contraxisse de presenti, ut inquit Abbas. Qui enim vult consequens, vult etiam illud antecedens, sine quo non potest perveniri ad illud consequens.

Significat uxorem jam ducta uti, ex Simone de Cassia.

123. Probatur exemplo.

Exemplum habemus certissimum (prosequitur idem Auctor. n. 6.) in jure, ad id explicandum valde accommodatum. Si testator filii servum suum pure tutorem dedit, eo ipso directam libertatem concessisse videtur; quia tutor esse non potest, qui servus est; quare eo ipso, quod tutorem eum esse vult, statim liber est, §. 2. & 3. Instit. Qui test. tut. da. poss. *Sed & servus proprius testamento cum libertate recte tutor dari potest. Sed sciendum est, eum & sine libertate tutorem datum, tacite libertatem directam accepisse videri, & per hoc recte tutorem esse*. Et dicit Paulus in l. *Quero* 32. ff. de Test. tut. *Placet eum qui a domino tutor datus est, libertatem quoque meruisse videri*.

Instit. Qui test §. 2. & 3.

L. 32. de Testam. tut.

L. 2. ff. de Jurisd.

Quisquis enim quid vult aut fieri jubet de aliqua re, simul omnia velle intelligitur, quæ præcedere oportet, & sine quibus ad prius illud perveniri non potest, l. 2. ff. de Jurisd. *Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videtur, sine quibus jurisdictio explicari non potest*.

Sic ergo in proposito, cum ab eo instanti, in quo dicit contrahens; *Tractabo te ut uxorem; Habebo te in uxorem*; obligatio confurgat se gerendi cum illa, tamquam cum uxore, in eodem igitur instanti contraxit de presenti; neque enim ab eo instanti potuit erga illam ut uxorem se gerere, nisi conjugio inito atque perfecto. Hæc Pontius.

124. Resp. Sanchez.

Ad quæ responderet Sanchez supra n. 21. necessario velle antecedens pro eo tempore, quo vult consequens; at consequens, nempe, habere ut uxorem, non vult statim, sed pro tempore, quo contrahet Matrimonium. Ita hic Auctor. Quamvis ergo in presenti statim obligetur, ut contrahat, tamen non, ut statim habeat pro uxore.

D. l. 14 ff. de Reg. juris non probat intentum.

Nec obstat d. lex 14. ff. de Reg. Juris; quia hic ponitur dies, videlicet tempus futurum; nam, ut supra retulimus ex Sanchio, æquivalent hæc propositiones: *Habebo te in uxorem, &: Pro aliquo tempore futuro habebis te in uxorem*. Quippe *Habebo*, verbum est futuri temporis; cur ergo non sufficiat ad veritatem illius propositionis, quod in futuro tempore eam usurus sim ut uxorem; ad hoc autem non re-

quiritur, ut ex nunc sit uxor, sed sufficit quod sit uxor pro eo tempore, quo eam utar ut uxore. Alioquin hæc propositiones erunt æquivalentes: *Habebo te in uxorem, &: Habebo te in uxorem*. Item: *Accipio te in uxorem, &: Accipiam te in uxorem*, hoc autem constat esse falsum, cum secundum Omnes hæc verba: *Accipiam te in uxorem*, ad summum perficiant sponsalia; ergo & illa. Quæ enim disparitas?

An putas has propositiones æquivalere: *Scholastici debent tractari ut cives, &: Scholastici debent tractari ut cives*? Clarum est, quod non: nam prima significat presentem tractationem, ut sic loquar, adedque hoc ipso debent fieri cives; 2. autem significat tractationem futuram; adedque sufficit, ut in futuro tempore fiant cives. Nisi ergo aliquid addatur, quo verbum futuri temporis secundum sonum litterarum, fiat quoad significationem de presenti; v. g. *Ex nunc te habebis*; vel nisi ex more patriæ, vel aliqua alia circumstantia, v. g. quia sponsalia præcesserant, & jam agebatur de contractu Matrimoniali, satis constet significatio de presenti; dico, verisimiliorem mihi videri sententiam Sanchez. Salletem dubia forma erit, ut habet Concluf.

Prout etiam hæc verba ambigua sunt: *Volo tecum contrahere, te ducere, te habere in uxorem, te tractare ut uxorem*. Nam Aliqui apud Sanchez supra n. 22. docent, nec constitutere Matrimonium, nec sponsalia. Card. in cap. *Ex literis*, de Sponsal. n. 1. in fine, existimat, constitutere Matrimonium, ut refert Sanchez supra n. 23. Alii complures, quos recitat idem Auctor n. 24. distinguunt: si verbum, *Volo*, adjungatur infinitivo, indicanti initium actus, ejusque suspensionem, erunt sponsalia, ut: *Volo contrahere, ducere, accipere te in uxorem*: si verò verbo denotanti executionem actus perfecti, est Matrimonium, ut: *Volo te habere, tenere in uxorem*.

Porrò Sanchez supra num. 25. cum Aliis, quos citat, eligit quartam sententiam, videlicet solum esse sponsalia; quia, inquit, ea verba verificantur, licet proferens modo noluit suam esse uxorem, sed tempore futuro. Limitandum est tamen, addit num. 26. nisi obsequio loci haberet, per ea verba celebrari Matrimonium; quia cum contrahentes, consuetudinis non ignari, iis verbis utuntur, satis sibi ipsis indicant velle Matrimonium inire. Rursus limitat num. 37. nisi præcessisset tractatus de contrahendo Matrimonio de presenti; tunc enim esset sufficiens conjectura animi, contrahendi Matrimonium per hæc verba, mutuo dicta: *Volo tecum contrahere*.

Sed quid, si quis, absque prævio tractatu, ad interrogationem alterius, quærentis: *Vis mecum contrahere?* respondeat: *Volo tecum contrahere?* Aliqui apud Sanchez supra n. 26. pu-

putant esse Matrimonium. Sed meritò, inquit Sanchez, contrarium tenet Sotus 4. dist. 27. q. 2. a. 1. post 2. Concluf. verl. Eadem ferè; quia velle contrahere non est contrahere.

Rogas à me, quam sententiam ex his quatuor sequatur Basil. Pontius? Respondeo: tenet sententiam Card. quam probat ex doctrina Glossæ in l. In vendentis. C. de Contrahenda emptione, quæ docet, his verbis: *Volo vendere. Volo emere*, perfectam venditionem esse. Quòd si dicas, inquit, non sequitur, *Volo; Ergo facio*. Respondet Card. in cap. *Ex literis*, de Sponsal. optimè, in his, quæ præter voluntatem exigunt aliquid extrinsecum, verum esse, non esse idem *Volo*, & *Facio*, ut: *Volo descendere, & Descendo*. At verò in his, quæ non exigunt nisi consensum præsentem, contractus valet, quia detegitur ex voluntate; itaque paria sunt in Matrimonio: *Volo contrahere*, & *Contraho*: Standum, (inquit Card.) communi intelligentiæ; putat autem ille communem intelligentiam esse, ut sint idem. Hæc autem vera esse iudicamus absolutè, & ex vi verborum: tales enim circumstantiæ comitari possunt verba ista, sive ex consuetudine loci desumptæ, sive ex his, quæ præcesserunt, ut tantum habeant rationem sponsaliorum. Hucusque Pontius supra n. 8.

Subscribo verba Gloss. verb. *In vendentis*, circa finem: *Sed quid si dicam: Volo tibi vendere rem istam pro decem; & tu dicas: Ego volo emere pro decem: an erit contracta venditio? Videtur quòd non. Nam si dicam: Volo ascendere arborem, non sequitur, quòd ascendam. Sed certè hoc valet, cum solo consensu contrahatur; at ibi necesse est, ut ascendat, & clarum est, quòd non ascendis, licet sic dicat: sed hoc non est clarum, eum non consentire. Nam & his verbis fidei commissum relinquitur: ut *Instit. de Singulis re. per Fideicommissum reli. §. fin. & mandatum contrahitur: ut ff. Mandat. l. 1.* Hæc Gloss.*

Respondeo: non est idem: *Volo amare, & Amo*, tamen nihil extrinsecum requiritur; ita ut verè dicere possim; *Volo amare*, quantumvis de factò nolim amare, sed tantummodo cras amaturus sim. Et ratio est; quia sunt actus omninò distincti: *Volo amare Deum*, & *Amo Deum*; habent quippe objecta distincta, scilicet amorem Dei, & ipsum Deum; cur ergo non possim hodie unum actum elicere, & cras alterum?

Consimiliter cur non possim hodie velle contrahere, & cras tantum contrahere, nam & hi actus sunt distincti: *Volo contrahere, & Contraho*; nam & objecta ipsorum sunt distincta, scilicet ipse contractus, id est, actio externa obligativa, & ipse res externæ, v. g. merex & pretium in emptione & venditio-

ne; in mutuo pecunia vel alia res, quæ mutuo datur; in donatione res, quæ donatur; in Matrimonio corpus, quòd traditur alteri ad usum. Sicuti ergo non bene sequitur: *Volo tibi mutuari pecuniam, ergo mutuo; Volo donare talem rem, ergo dono*: sic etiam non bene sequitur: *Volo tecum contrahere Matrimonium, ergo contraho*; nam neque Matrimonium perficitur solo consensu, sed requirit traditionem corporis, non quidem realem, sed æquivalentem; & ideo requiruntur verba aut alia signa, quæ determinatè significant consensum de præsentem in ipsam translationem corporis, talia autem non sunt: *Volo contrahere Matrimonium*, quia possunt esse vera intellecta de contractu futuro.

Quantum ad contractum emptionis, de quo solo loquitur Glossa, hic perficitur solo consensu, absque traditione reali vel æquivalenti, & ideo fortè ad eum sufficiunt hæc verba: *Volo emere*, præsertim, quando præcessit tractatus de emptione statim faciendâ, de quo casu videtur loqui Glossa; non enim solet venditor pretium determinare, & emptor in illud consentire pro tempore futuro, sed pro tempore præsentem, cum pretium sæpius minuatur vel augeatur pro tempore futuro. Et sic etiam in casu proposito, si præcessisset tractatus de Matrimonio ineundo, & jam sponsalia forent contracta, & sponsus diceret: *Ego volo tecum Matrimonium contrahere*, & ipsa responderet: *Et ego similiter*, non dubito quin tali casu illa verba sufficienter exprimerent consensum de præsentem; nec hoc negat Sanchez. Quidquid sit, patet, quòd sint verba dubia, nisi per alias circumstantias magis determinentur.

Et idem docet Sanchez supra n. 29. de his verbis: *Volo te esse uxorem meam*. Quare, inquit ille, si eo verbo, *Volo*, explicetur velle eligentis, seu velle efficax, est Matrimonium; quia sufficienter explicatur consensus de præsentem; si verò appetitus quidam seu velle inefficax, nec sunt sponsalia: quia appetere Matrimonium, nec promittere est. Hæc ille, cum Aliis, quos citat.

Pontius verò supra n. 9. existimat, illa verba conficere Matrimonium; habent enim consensum de præsentem, ut sit uxor. Neque, inquit, illis verbis significari potest consensus inefficax, ut vult Tho. Sanchez n. 29. is enim significatur verbo: *Vellem*. Igitur significatur efficax consensus ex vi verbi, nisi ex aliis circumstantiis velleitas quædam significari intelligatur. Ita Pontius.

Sed contrà facit; quòd ly *Vellem*, ex vi verbi non significet voluntatem præsentem, qualis tamen est voluntas inefficax, sed potius voluntatem futuram; cur ergo illa voluntas inefficax, non possit explicari per ly *Volo*? Non dubito, quin possit; adeòque videtur

131. Fortè ad emptionem sufficiunt hæc verba: Volo emere.

132. Quid dicendum de his verbis: Volo te esse &c. Sanchez.

Pontius putat conficere Matrim.

133. Contrà arguitur.

datur verbum dubium seu equivocum, quàmvis communiùs per eam explicetur voluntas efficax, & per ly *Vellem*, voluntas inefficax; quamquam enim ex prima institutione, & ex rigorosa seu propria significatione istius vocis, non significetur nisi quod futurum est, insinuat tamen sufficienter inefficax complacentia; quia quilibet potest sufficienter cognoscere, loquentem habere talem complacentiam circa tale objectum; nam sine illa non diceret, *Vellem*; & fortè non posset dicere, quòd postea vellet potius, quàm non vellet, cum non possit hoc fundatè judicare, nisi ex affectu, quem hic & nunc habet erga res.

134. Disputatur hic etiam à DD. de sequentibus verbis: *Non ducam aliam, nisi te; Nolo aliam in uxorem, nisi te*, vel, *præter te*, vel *à te*, vel, *quàm te*; hæc enim omnia exclusivum seu exceptivum sensum habent. Sed nunquid etiam conditionalem? Affirmat Sanchez supra disp. 19. n. 5. & 6.

Undè putat, illa verba nec Matrimonium, nec sponsalia perficere; sed priora: *Non ducam aliam, nisi te*, solum esse promissionem conditionalem: *Si aliquam ducturus sum, te ducam*: hæc autem verba: *Nolo aliam in uxorem, nisi te*, non facere hunc sensum: *Volo te, & non aliam*; sed: *Si aliquam volo, te volo, & non aliam*.

135. Probat primò ex l. *Si sterilis*, 21. § penult. ff. de Act. empti, qui sic sonat: *Sed etsi ita fundum tibi vendidero, ut nulli alium, quam mihi venderes, actio eo nomine ex venditio est, si alii vendideris*. Ex quibus verbis colligitur, promittentem non vendere, nisi huic, minime teneri vendere; sed solum teneri huic, casu quo vendiderit.

136. Probat secundo ex l. *Titia*, 59. §. fin. ff. de Manumissis test. ubi sic scribitur: *Lucius Titius testamento suo ita cavuit: Onesiphore, nisi diligenter rationem excusseris, liber ne esto. Quæro, an Onesiphorus ex his verbis libertatem sibi vindicare possit. Respondit, verbis, quæ proponerentur, libertatem adimi potius, quam dari*.

Probat 3. ex communi modo loquendi, cui standum est in utroque foro, quando de intentione non constat; nam si quis promittat, nullam se Religionem, nisi Cartusiam, professurum, nemo affirmabit teneri Cartusiam ingredi; sed tantum teneri alias Religionem ingredi, & liberam esse sibi Cartusiam eligere, & tantum suppositâ Religionis electione, teneri Cartusiam ingredi; ergo similiter dicendum est in nostro casu. Ita Sanchez.

Sed hæc sententia, ita generaliter accepta, non placet Pontio. Priusquam autem suam statuatur, notat in primis, particulam, *Nisi*, non tantum habere vim exceptivæ, sed etiam conditionalis, in quo differt ab aliis particulis exceptivis. Itaque & significat idem quod:

Tantum, Solum, Præter, & significat idem quod: *Si non*. Indè est, ut sæpè non efficiat nisi conditionalem sensum; & cum ponitur ut conditionalis pro: *Si non*, nihil affirmat, nisi ex adjuncta materia, vel aliunde colligatur.

Esse autem conditionalem, maxime constat, cum adiungitur alicui actioni, vel verbo, ut in illo: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*; & in illo: *Nisi manducaveritis carnes filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, Joannis 6. & in illo: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*. Gen. 32. id est, si non benedixeris, si non manducaveris, si non restitueris. In his & in similibus semper dispositio conditionalis est, veluti in dict. l. *Titia*.

Undè non rectè Tho. Sanchez probat eà lege, particulam exceptivam sensum conditionalem efficere: nam ibi non ponitur tamquam exceptio, sed tamquam conditio: *Onesiphore, nisi diligenter rationem excusseris, ne liber esto*, ponitur conditio, sine qua non assequeretur libertatem.

Et idem dixerim de lege: *Si sterilis*. Nam ex ipsa specie facti colligitur, illum contractum conditionalem fuisse, non ex vi particulæ, *Nisi*, ut vult Tho. Sanchez; sed quia expressum fuerat in contractu: *Vendo tibi rem hanc eà lege, ut si vendideris, non alteri, quam mihi vendas*. Quare ex eo textu ad casum, in quo nullâ expressâ conditione ponitur illa particula, argumentum desumi non potest. Hinc etiam illud: *Ne des Titio centum; nisi moriatur mater mea*, fuit conditionale legitimum.

Hæc autem vis, quæ latet in particula, *Nisi*, non latet in aliis exceptivis, *Præter, Tantum, Quàm*, nisi addatur conditionalis particula: *Si*, ut, *Præterquam si*. Quando autem ea particula, *Nisi*, non adiungitur verbo, sive actioni alicujus, sed tantum nomini vel personæ, reverà habet sensum exceptivum tantum. Ita Pontius supra cap. 10. n. 6.

Porro num. 7. suam statuit sententiam, divisam in tres partes. Prima est: In propositionibus de præterito, aut præterito, semper particula exceptiva includit affirmationem. Secunda pars est: In propositionibus de futuro, vel quæ respiciunt tempus futurum, particula exceptiva non includit post negationem affirmationem. Tertia pars est: Particula exceptiva quando ponitur in propositionibus affirmativis, planè affirmat de casu excepto actionem verbi, & removel ab aliis, sive respiciant tempus præteritum, præteritum aut futurum.

Prima pars ostenditur in his propositionibus: *Non video, nisi te*, sensus est, te videro, & nullum alium. *Neminem viderunt, nisi solum Jesum*, id est, Jesum viderunt inco-

Quem sensum habeant hæc verba: Non ducam aliam, nisi te.

Sanchez putat nec sponsalia perficere, nec Matrim.

Probat 1. ex l. 21. ff. de Act. & emp.

Secundò ex l. 59. ff. de Manum. test.

Tertio probatio.

tionem, ex Pontio, Sanchio, & Covar.

142. Quare aliter hic iudicandum, quàm ibi, ex Pontio.

143. Ex quo oritur haec differentia.

mitatum: Nullus, nisi Petrus, currit, affirmatur cursus de Petro. Nullus pugnavit, nisi Petrus, affirmatur pugna de Petro: Aliàs ineptè hæc dicerentur. Ergo similiter in contractibus: Si quis dicat: Non vendo, nisi tibi, particula illa affirmat venditionem tibi factam, & excludit alios: Non volo, nisi te, id est, volo te, & nullam aliam. Nam ille tenetur de præsentem vera verba proferre. At non possunt verba esse vera, nisi in hoc sensu. Nam aut tunc volo te, vel non volo te: Si primum, vinco, quod volo: si secundum, ergo falso dico; Non volo, nisi te, quandoquidem nec te volo, & idè nullam volo. Non vendo, nisi tibi, vel vendo tibi, vel non: si non, locutio est inepta, & falsa propositio; si tibi, ergo affirmat ea particula exceptiva, & post negationem dicit affirmationem. Illis ergo verbis (inquit Pontius supra num. 9.) perficitur Matrimonium: Nolo aliam, nisi te uxorem; Non habeo aliam, nisi te, vel, præter te; Non duco aliam, nisi te; Non contraho, nisi tecum. Neque id videtur ullâ ratione negari posse in his contractibus, qui de præfati celebrantur. Ita Pontius pro prima parte suæ sententiæ.

Sed quod ipsi videntur, nullâ ratione negari posse, hoc Sanchio, & Aliis, quos citat, videtur, bonâ ratione negari posse, putat: oratio negativa nihil ponit ex se ipsâ, nisi aliquid extrinsecus addatur, vel expressim, vel ex materia subiecta & natura rei. Sed hæc oratio: Nolo aliam in uxorem, nisi te, est negativa; ergo ex se ipsâ nihil ponit, nisi aliquid extrinsecus addatur. Hinc si quis diceret: Volo aliquam in uxorem, & nolo aliam, nisi te, indubiè contraheret Matrimonium. Similiter si diceret: Contraho Matrimonium, & non cum alia, nisi tecum. Sic etiam erunt sponsalia: Ducam uxorem, & non aliam, nisi te; secus si solum diceretur: Non ducam aliam, nisi te. Vide Covar. to. 1. de Matr. p. 2. c. 4. §. 1. per totum.

Sic ait n. 14. Quintò, ex hoc apparet verus sensus ad l. Quibus diebus, §. Quidam Titio, ff. de Condit. & demonst. ubi per illa verba: Heres meus ne des Titio centum, nisi mater mea moriatur, conditionale legatum est, & mortuâ matre debetur: ex eo enim procedit, quia ante illam orationem præmissa fuit oratio assertiva, quæ centum illa dederat Titio ex legato. Sic enim dixit Testator: Centum lego Titio, & subdit: Heres meus ne des Titio centum, nisi mater mea moriatur. Hæc Covar.

Sed pergamus ad secundam partem sententiæ Pontii, quæ talis est: In enuntiationibus, quæ respiciunt tempus futurum, particula exceptiva non includit affirmationem, nisi aliquid extrinsecus apponatur, quo affirmatio inclusa significetur, vel id postulet subiecta materia, & id, de quo agebatur ostendat.

In hac parte convenit Pontius cum Sanchio & Covar. Undè n. 10. eam declarat exemplis illis, quæ adducunt Covar. & Sanchez: Non ingrediar, nisi Religionem Carthusianorum. Durum videtur (inquit Pontius) his verbis obligatum aliquem, ad ingrediendum eam Religionem, dicere. Caesar promisit se hoc anno non gesturum bellum, nisi contra Turcas; ergo contra Turcas geret, non valet. Idemque convinci videtur ex illa lege: Si sterilis, de Act. empti. Hæc Pontius.

Et si quæras ab ipso, quæ sit ratio, ob quam aliter iudicandum sit in enuntiationibus, quæ respiciunt tempus futurum; aliter in his, quæ respiciunt tempus præsens, aut præteritum? Respondet n. 11. quia proprium est particulæ exceptivæ, tollere negationem actionis in casu excepto, v. g. in hoc: Nullus, nisi Petrus, pugnat, negationem actionis pugnae tollit à Petro, quem excipit, & quia id in præsentem, aut præteritum, non potest esse indifferens, ut sit, vel non sit, ut conveniat, vel non conveniat actio; quando autem respicit tempus futurum, est indifferentia ut sit, aut non sit; indè est, in propositionibus de præsentem, aut præteritum, includi affirmationem, non verò in propositionibus de futuro.

Explicemus magis. Nullus est albus nisi Petrus, negatur ab omnibus præsens existentia cum albedine, & hæc negatio albedinis remouetur à Petro. Et quia de præsentem non potest non esse unum ex his duobus, vel Petrum de præsentem esse album, vel non esse, indè est, ut ad hoc, quod vera sit propositio, Petrus de præsentem debeat esse albus, aliàs erit falsa. Si enim de præsentem Petrus non sit albus, cum non possit esse indifferens ad album, & non album, non diceretur verè: Nullus nisi Petrus est albus.

Idem est in illa: Nullus nisi Petrus cucurrit, aut pugnavit; neque enim Petrus, qui jam præterit, potest esse indifferens, ut illi cursus aut pugna convenirent, aut non convenirent. At verò cum dico: Non vendam nisi tibi, nego actionem vendendi in futurum omnibus determinatè, & determinatè tibi non nego actionem vendendi. At verò, quia indifferens est pro tempore futuro, ut tibi vendam vel non, possum enim vendere, aut non vendere, & de te non affirmo, vera propositio est.

An autem id oriatur ex ipsa significatione particulæ exceptivæ, vel ex communi modo significandi & intelligendi, definire certè non audeo. Mihi potiùs videtur, ex communi hominum intelligendi modo ortum habuisse, & non ex vi particulæ exceptivæ. Habuit tamen communis iste modus intelligendi sufficiens fundamentum, ut antè explicatum est. Atque id est, quod Juris Interpretes solent dicere, hæc particulâ non affirmari actum sed potentiam, sic Covar. loco citato, & Pechius in Reg. Peccatum non dimittitur, verb.

D d Nisi,

Nisi, de Reg. Juris in 6. quod verum esse non potest, si oratio respiciat tempus præsens aut præteritum; in his enim non est potentia, sed actus; sed solum quando respicit futurum, ad quod est potentia, & non actus. Hucusque Pontius.

144.

Qualiter fieri possit ut propositio de futuro includat affirmationem, ex Pontio.

3. Reg. 22.

2. Paralip.

18.

Porrò n. 12. declarat, quomodo aliquid extrinsecum, appositum propositioni, quæ respicit tempus futurum, facere possit, ut intelligi debeat affirmatio inclusa, & quomodo idipsum colligi possit ex subjecta materia: v. g. 3. Reg. 22. *Non pugnabitis contra majorem quemquam vel minorem, nisi solum contra Regem Israël*, id est, contra illum, & contra nulum alium. 2. Paralip. 18. *Ne mihi loquaris, nisi quod verum est*, id est, loqueris verum, & nihil aliud nisi verum. Idem in illa: *Nullus nisi Petrus curret*, si Petrus non esset currens falsa esset propositio. Id quod à contrario explicari potest. Nam particule exceptivæ omnes æquivalent inter se; itaque idem est *Tantum, Nisi, Præter, Solum*, & aliæ. At cum ponitur particula: *Tantum* affirmativè, includit negationem. Ergo quando ponitur negativè, includit affirmationem. *Tantum Petrus erit albus*, id est, Petrus erit albus, & nihil aliud. Si enim nihil futurum esset albus, falsa esset propositio. Similiter quando præcessit affirmatio: *Homicidium committendum est hodie, & nullus nisi Petrus occidet: Promitto vendere hanc domum, & nulli vendam nisi tibi*.

Ex his infert Pontius n. 13. si ea verba, quæ sponsalia inducunt, effertur cum negatione, & particula exceptiva, ut: *Non ducam nisi te; Non contraham nisi tecum*, neque sponsalia, neque Matrimonium videri. Non enim ponit ea particula actum contrahendum, ut futurum cum alio; sed remoto actu & potentia contrahendi cum aliis, si verum dicit promittens, relinquit potentiam tantum ad contrahendum cum hoc. Potentia autem contrahendi non efficit sponsalia, sed actio futura contrahendi promissa. Ita Pontius de 2. parte suæ sententiæ.

145.

Particula exceptiva in affirmativa oratione ponit actum in casu excepto, ex Pontio.

Pergit n. 14. ad 3. partem, quam dicit esse manifestam; scilicet particulam exceptivam, in affirmativa oratione positam, verè ponere actum in casu excepto, & removere ab omnibus aliis. In quo conveniunt Omnes, ut: *Ducam tantum te*. Quod enim ponat actum in casu excepto, planum est ex vi affirmationis, aliàs non esset affirmans, aut esset falsa. Quod autem alia ab actu excludantur, habet quatenus exceptio est, aliàs non esset vera propositio. Quare illis: *Tantum te volo uxorem; Volo te, & nullam aliam; Tantum te habeo uxorem*, contractum videtur Matrimonium juxta dicta. *Tantum te ducam, Tantum tecum contraham*, sponsalia efficiunt. Hæc fusiùs ex præfato Auctore, ut quisque clarè videat probabilitatem illius sententiæ, quæ maximè

fundatur in communi hominum intelligendi modo.

Ad quod tamen fundamentum responderet Sanchez sup. n. 10. ex communi loquendi modo particulam exceptivam: *Nisi, Præter &c.* tam in promissionibus, quàm in contractibus, sensum facere conditionalem, quidquid fit de propositionibus speculativis; & idem sensum hujus propositionis: *Ducam tantum te*, esse, si aliquam ducam, te & non aliam ducam. Similiter: *Tantum te volo uxorem*, id est, si aliquam volo, te volo. Aliud est, quando dicitur: *Volo te, & nullam aliam*, ibi enim absolute affirmatur animus contrahendi; in alia autem propositione nihil absolute affirmatur de præsentibus; & idem vera est, tamen non velim ullam habere uxorem.

Quod ergo Pontius affirmat, scilicet, in illis propositionibus de præsentibus, & præteritis, includi affirmationem absolutam alicujus actus, hoc Sanchez negat, & asserit, eas solum esse conditionales; ac uterque fundatur in communi hominum loquendi modo. Et idem res manet dubia, cum pro utroque modo loquendi stent Auctores probati.

Porrò nullum est dubium, quin per hæc verba: *Promitto, me obligo, vel, do tibi fidem meam, sub fide mea te ducam, habeo me pro fido, pro infamia, pro proditore, nisi te ducam*, et si quæ sint similia, perficiantur sponsalia. Consentur etiam sufficere: *Accipiam te, ducam te in meam conjugem*; quia licet per se loquendo possent denotare solum propositum & voluntatem; tamen ex communi sensu, in hac materia habentur tanquam verba promissiva & obligatoria. Undè hæc verba tanquam consuetæ ad perficienda sponsalia, asserit D. Tho. in 4. dist. 27. q. 2. a. 1. Alijque communiter. Quod debet intelligi, nisi ex partium explicatione, aut circumstantiis aliud constet.

Rursus Vasquez disp. 4. de Matr. n. 22. Si quis, inquit, postularet à muliere, an vellet ductum iri, & illa promitteret & sponderet, vel contra mulier virum interrogaret, forent vera sponsalia ex parte utriusque; nam illa interrogatio seu postulatio vim haberet, non tantum acceptionis, sed etiam promissionis, sicut habet in stipulatione. Atque hoc modo jam olim consuevisse fieri sponsalia, refert Agellius lib. 4. Noctium Atticarum c. 4. *Qui uxorem ducturus erat, ab eo, undè ducenda erat, stipulabatur eam in Matrimonio ductum iri, qui daturus erat, eidem spondebat, is contra actum stipulationis sponsionisque, dicebatur sponsalia; tumque promissa erat, appellabatur sponsa, qui sponderat ducturum, sponsus. Sed & hoc intelligendum est, nisi ex verbis interrogantis, aut aliis circumstantiis constaret, eum voluisse solum explorare mentem alterius, & non adhuc se obligare.*

Atque ut id semel notemus pro semper, quan-

In dubio ar- quodcumque dubitatur de significacione
trahentium, & illi standum, saltem in foro
conscientiæ, quando de tali intentione satis
constat, arg. l. 2. 19 de Verb. signif. In conven-
tionibus contrahentium, voluntatem potius, quam
verba spectari placuit. Et ratio est; quia hæc
obligatio est lex quædam particularis, quam
homo suâ sponte sibi imponit; obligatio autem
legis, à Legislatoris mente pendet.

Ex quo aliqui DD. quos citat Sanchez sup.
disp. 18. n. 2. inferunt, quoad forum conscientie,
& Deum, non esse curandum de verbis
externè prolatis, quando de contrahentium
intentione constat. Quod non ita intelligendum
existimo cum Sanchez supra, quasi sufficiat
sola intentio; nam cum sponsalia & Matrimo-
nium sint contractus humanus, necesse est,
ut illa intentio verbis vel signis aptis explicetur,
sic ut alter contrahentium alterius animum
intelligat: intentio enim mente re-
tenta, nihil operatur in humanis contractibus;
arg. leg. Cum in plures, 60. ff. Locati, §. 6.
Locator horrei propositum habuit, se aurum, ar-
gentum, margaritam non recipere suo periculo.
Deinde cum sciret has res inferri, passus est. Pro-
inde cum futurum tibi obligatum dixi, ac, si pro-
positum fuit, remissum videtur.

Mens itaque illorum Doctorum hæc est,
si desit intentio & consensus internus, qualia-
cumque sint verba, nulla sponsalium, aut Matrimo-
nii oritur obligatio: & e contra, si adsit
intentio se obligandi vinculo Matrimonii,
aut sponsalium, & ea manifestetur aliquo fig-
no externo alteri, ita ut ambo contrahentes
intelligant se mutuo per illa verba velle con-
trahere Matrimonium vel sponsalia, fat erunt
qualiacumque verba. Et ratio est aperta; quia
cum de ratione Matrimonii, vel sponsalium,
non sint expressa seu formalia verba, sed ver-
ba vel signa; satis est, si verbis id significan-
tibus, vel, si verba id non significant, signo ex-
terno sibi mutuo animum indicent.

Hinc si consuetudo loci, in quo contrahitur
Matrimonium obtinerit, ut consensus
de præsentis explicetur per verba futuri tem-
poris, per ipsa verè contrahitur Matrimo-
nium; jam enim adest consensus de præsentis,
& signum externum, sufficienter eum con-
sensum exprimens. Et e converso, si consue-
tudo obtinuit, ut consensus de futuro exprima-
tur per verba præsentis temporis, per ipsa
verè contrahuntur sponsalia, & non Matrimo-
nium. Sic, quia lex statuit, ut verba de præ-
sentis inter impuberes solum significant con-
sensum de futuro; hinc, quidquid ipsi inten-
dant, per ista verba contrahuntur sponsalia,
& non Matrimonium. Ergo consimiliter jus
potuisset instituire verba de futuro, ut signi-
ficarent consensum de præsentis.

Quod autem jus non fecit, nunquid ipsi

contrahentes possunt facere? Quid ni possint?
Nam per se loquendo, nulli debet constare
de consensu præstito, nisi ipsis contrahenti-
bus, ut patet in Matrimonio clandestino.
Quod si verba adhibita, nequidem contra-
hentibus id significaverint, quamvis intende-
rint celebrare Matrimonium, & præstare
consensum de præsentis, Matrimonium non
subsistit, ut supra dixi ex Sanchezio, quem se-
quitur Pontius supra c. 8. n. 2. in fine.

Et n. 3. objicit sibi ipsi textum in leg. 4. ff.
de Legat. & fideicom. 1. Si quis in fundi vo-
cabulo erravit, & Cornelianum pro Sempro-
niano nominavit: debetur Sempronianus. Sed
si in corpore erravit, non debetur. Quod si quis
cum velle vestem legare, suppellectilem adscrip-
sit, dum putat suppellectilis appellatione vestem
contineri, Pomponius scripsit; vestem non debe-
ri. Quemadmodum si quis putet, auri appella-
tione electrum vel aurichalcum contineri, vel
(quod est stultius) vestis appellatione etiam ar-
gentum contineri. Rerum enim vocabula immu-
tabilia sunt, hominum mutabilia.

Quibus ultimis verbis, inquit Pontius,
redditur ratio non contemnenda; non enim
sensus est, ut interpretatur Accursius, homi-
num vocabula esse, quæ ab hominibus im-
posita sunt, nulla enim sunt, quæ non sint ex
hominum placito: sed propria hominum ver-
ba vocat: Cornelii, Sempronii, & quæ ab his
derivantur, Sempronianum, Cornelianum. Re-
rum verò, ut auri vel argenti, vestis, supelle-
ctilis, fundi. Hominum autem nomina facile
mutantur; contingit enim, ut fundus, qui
hodie Sempronii est, & dicitur: Sempronianum,
cras sit Cornelii, & dicitur: Cornelianum:
at rerum nomina non mutantur; au-
rum enim heri & hodie appellatur: Aurum.
Cum ergo verba, quibus in contractu uti-
mur, sint non hominum, sed rerum, immuta-
bilia sunt; atque aded, qui per verba de præ-
sentis, contrahit de futuro, nihil agat, sunt
enim ea vocabula immutabilia.

Respondetur: id verum esse in foro exter-
no, quando in eo aliud non satis constat de
mente Testatoris. Unde & in eodem foro sic
judicaretur de causa matrimoniali; arg. leg.
Non aliter, 69. ff. de Legat. 3. Non aliter a sig-
nificatione verborum recedi oportet, quam cum
manifestum est, aliud sensisse Testatorem. Aliud
est, inquit Pontius supra, manifestum esse,
quid senserit contrahens, quia ipse suorum
verborum sensum explicuit; aliud errasse in
verbis, & ex falso errore unum pro alio po-
suisse. Non patrocinator jus juranti in nomi-
ne appellativo, sed erranti in nomine pro-
prio; cum hoc frequenter mutari contingat,
& facilis admittatur error; illud autem sit im-
mutabile, & præsumatur etiam, eum, qui
pro suppellectili vestem posuit, ludere potius
voluisse, quam aliquid legare. At patrocina-
tur,

verba possint
institui à
contrahenti-
bus, ut signi-
ficent con-
sensum de
præsentis.
Sanchez.
Pontius.

151.
Objicitur
pro parte
negativa.
l. 4 ff. de
Legat. 3.

152.
Resp. ex
Pontio.
L. 69. ff. de
Legat. 3.



tur, quando suam mentem satis explicuit, etiam si verba, quæ ipse aliis explicuit esse sui signa consensus, eam ex usu hominum significationem non habeant. Hæc ille. Plura ibidem n. 4. & seqq. addens, pro majori explanatione istius leg. 4. quæ vide si placet.

153. Mens contrahentium præferenda est cortici verborum, quando de ea constat.

Finio hanc Conclus. & dico; ubi constat de mente contrahentium, hæc præferenda est cortici verborum; undè tunc licet à verborum proprietate recedere, & ea abusivè interpretari; arg. leg. 69. ff. de Reg. Juris: *In ambiguis orationibus maximè sententia spectanda est ejus, qui eas protulisset.* Quippè voluntas Legislatoris anima legis est, verba autem corpus; sicut ergo in homine præcipua ratio habetur animæ, ita etiam in lege, sive publica, sive privata.

L. 69. ff. de Aeg. Juris. C. 1. r. 2. 2. q. 5.

Hinc illud Greg. 26. Moral. c. 7. & refertur 22. q. 5. c. 11. *Certè noverit ille, qui intentionem & voluntatem alterius variis explicat verbis: quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni.* Et istud Hilarii, quod refertur cap. 6. de Verb. signif. *Intelligentia dictorum, ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.* Ubi Gloss. verb. *Rei est &c.* in fine: *Item arg. est, quòd verba ad extraneum sensum sunt trabenda, ubi res aliter salva esse non potest, arg. Cod. de Verb. sign. Cum quidam, & Cod. de Lega. Cum questio.*

154. In dubio, in primis spectanda verisimilitudo. Reg. 45. de Reg. Juris in 6.

Quod si dubia sit mens contrahentis, neque quid senerit satis perspicitur, tunc in primis spectanda verisimilitudo, juxta Reg. 45. de Reg. Juris in 6. *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Ergo spectanda in primis verisimilitudo, deinde consuetudo. Verisimilitudo sive verisimile quid sit, eruitur, inquit Pontius supra num. 12. ex comparatione rerum ad invicem, vel rei ad pretium, vel ex antecedentibus & consequentibus, etiam ex qualitate personarum, & ex eo, de quo agebatur; si enim prius agebatur de Matrimonio, sequentia etiam ad eum finem dicta à contrahente intelligi debent; si de sponsalibus, ad sponsalia pertinebunt; & juxta ea, quæ prius clarè dixit, ea quæ postea obscure dixit, accipienda erunt.

Ex quo hæc arguitur, ex Pontio.

155. Secundò attendenda consuetudo. L. 50. ff. de Leg. 1.

Deinde, sicut dixi, attendenda consuetudo, tum personæ, tum Regionis; arg. leg. *Si servus*, 50. ff. de Lega. 1. §. 1. *Si numerus nummorum legatus sit, neque apparet qualis sunt legati; ante omnia ipsius Patris familiaris consuetudo, deinde Regionis, in qua versatus est, exquirenda est; sed & mens Patris familiaris, & legatarii dignitas, vel charitas, & necessitudo. Item earum, quæ præcedunt, vel quæ sequuntur, summarum scripta sunt spectanda.* Exquirendum quid habeat jus municipale

loci, priusquam quid habeat jus commune; ut enim Pechius: *Ubi statuta corrigunt jus Pechius commune, magis præsumitur suam mentem accommodare secundum statuta, quam cum jure communi, l. Si quis argentum, vers. Similique modo. C. de Donat.*

His omnibus exquisitis, si necdum verisimilitudo constet, inspicienda est propria & communis verborum significatio; inter eas tamen gentes recepta, apud quas Matrimonium celebratur; nam, ut supra indicavimus, fieri potest, ut apud aliquas Nationes (sicut de Indis refert Veracruz 1. p. Speculi. num. 19. in fine) signa recepta ad explicandum consensum de præfenti, sint aliqua verba, quæ nobis videntur futuri temporis. Quare multum ad judicium in his, quæ ex verborum significatione pendunt, attendendus est vulgaris, atque usu receptus loquendi modus inter eos homines, qui judicium postulant, etiam si contra formam juris videatur. Exemplum ejus rei affert Pontius supra n. 13. quod apud ipsum vide.

Sufficit nobis jus commune extra de Sponsal. cap. *Ex litteris*. 7. ibi: *Respondemus quòd inspiciendum est Judicium, si Matrimonium contrahentium, ad id faciendum sint idonei scientia, & ætate, quo cognito, si alter non intellexerit, quod alter proposuit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, & cogatur uterque verba prolata in eo sensu retinere, quem solent rectè intelligentibus generare.* Ubi Gloss. verb. *Intelligentiam*, sic ait: *Hujusmodi ambiguitas verborum quandoque incidit in judiciis, quandoque in contractibus. In judiciis circa litis exordium plus creditur actori, quam rei, ff. de Verb. oblig. Inter stipulantem, §. 1. Postea in confessionibus urgeri debet confitens, ut certum confiteatur; alioquin id accipietur, quòd magis expedit adversario suo, ff. de Confess. Certum. In contractibus & pactis distinguitur: aut certum est, quòd consenserunt, & tunc valet, quòd agitur, aut non consenserunt, & tunc non valet, quòd agitur, ff. de Contrah. empt. & vendit. In venditionibus, & 30. q. 2. Ubi. *Aus dubitatur quid senerint, & tunc subdistingue: quia aut valet intellectus secundum unam partem, aut secundum utramque: si secundum unam partem, commodius est id accipi, ut res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat. ff. de Reg. Juris. Quotiens idem sermo, & ff. de Verb. oblig. Quotiens. & supra de Fide instrument. Inter dilectos. & infra de Verb. signif. Abbate. Si secundum utramque partem, tunc id, quòd verosimilius est, accipiendum est, ff. de Verb. oblig. Eum qui calendis, & quòd quandoque consuevit accidere, 28. dist. De Syraculanæ. Vel contra eum sit interpretatio, qui pactum apposuit, qui debet legere, id est, pactum apertius apponere, ff. De Pactis veteribus, & secundum promissorem sit interpretatio, quia liberum fuit stipulatorem**

ri verba late concipere, ff. de Verb. oblig. Quid-
quid. Hactenus Gloss. satis notabilis, ex qua
multa colliges utilia pro hac materia, & ideo
latius volui eam referre.

Cæterum propriam significationem reti-
nendam esse, relicta impropria, nisi aliud con-
stat de mente contrahentium, nemo dubitat,
& est conforme l. Non aliter, supra allegatæ.
Sin autem plures fuerint propriæ signifi-
cationes, & obscurum sit, quam contrahentes
intenderint, minimum sequendum esse, dicitur
Reg. Juris 30. de Reg. Juris in 6. In obscuris
minimum est sequendum. Et lex. 34. ff. eod.
Semper in stipulationibus, & in ceteris contra-
ctibus id sequimur, quod actum est: aut si non
patet, quod actum est, erit consequens, ut id se-
quatur, quod in Regione, in qua actum est, fre-
quentatur. Quid ergo si neque Regionis mos ap-
pareat, quia varius fuit? Ad id quod minimum
est, redigenda summa est. Ita Ulpianus. Qui
(inquit Canisius in d. Reg. In obscuris.) quo
ordine in interpretatione contractus proced-
endum sit, eleganter explicat. Et quidem
ante omnia id spectandum & sequendum cen-
set, quod inter contrahentes actum fuit,
etiãsi forte proprietate verborum abusi sint,
l. Infulam, 6. ff. de Præscript. verb. toto tit.
Cod. Plus valere, quod agitur. l. In venditio-
nibus, 9. vers. Plane si in nomine. ff. de Con-
trah. empr.

Etenim contractum potissimum ex mente
contrahentium metimur, l. 1. §. Conventionis,
ff. de Pact. quemadmodum & ea quæ ultime
dispositionis sunt ex voluntate ipsius defun-
cti, l. Non aliter. 69. in princip. ff. de Lega.
3. Dum tamen meminerimus, non tantum
eam voluntatem contrahentium & testan-
tium intelligi, quæ ex perspicuis eorum ver-
bis colligitur, sed & quæ ex conjecturis, ut
puta, ex more loquendi, ex rationis contextu,
l. Si servus plurium, 50. §. 7. ff. de Lega. 1. l.
Nummis 75. ff. de Lega. 3. l. Titia. 134. §. 1.
& §. fin. ff. de Verb. oblig. ex dignitate qua-
litate vel affectu personarum dicit. §. ult. &
l. Si cui. 14. ff. de Annuis legatis. l. 2. C. de
Dotis promiss. ex eo quoddam plerumque fieri
solet, dicit §. ult. & l. In obscuris. 114. ff.
de Reg. Juris. Nam huc spectat illa Juris Re-
gula: Inspicimus in obscuris, quod est verissimi-
limum, vel quoddam plerumque fieri consuevit. Defi-
ciente autem voluntate, tandem fit locus no-
stræ regulæ, ut in obscuris id sequamur, quod
minimum est; in obscuris, inquam, quorum
sententia neque ex verbis ipsis, neque ex alia
conjectura colligi potest; ne huic adversetur
citata regula: Inspicimus &c. Hactenus Canisius
optime ad nostrum propositum.

Sed quid, si omnibus consideratis & inspec-
tis, adhuc res maneat dubia? In favorem
Matrimonii judicandum esse, probant diversa
jura, quæ alibi commodius referentur. Tan-

tum hic addo; ea, quæ hactenus dicta sunt,
vera esse in utroque foro. Nam in causa Ma-
trimonii, id, quod non est Matrimonium in
foro conscientia, non potest esse Matrimo-
nium in foro Ecclesiæ, cum Ecclesia nequeat
efficere Matrimonium, quod revera non est.
Solum in modo cognoscendi est differentia;
nam in foro interno standum propriæ con-
fessionis, in externo verò allegatis & probatis,
ut optime Covar. To. 1. de Matr. p. 2. c. 2.
n. 2. & seq. quem sequuntur Sanchez supra
disp. 18. n. 6. Pontius supra n. 16. & Alii.

bia, judican-
dum est in
favorem
Matr.

Covarr.
Sanchez.
Pontius.

Potest quidem fieri, ut Ecclesia judicet
Matrimonium esse, quod re verà tale non est,
illud tamen propterea non erit verum Matrimo-
nium in foro externo, sed solum præ-
sumptum, defectu probationis invaliditatis,
& de hoc non quæritur in præsentis; sed sup-
ponitur, quod Matrimonium sit dubium, vel
propter dubia verba, vel aliunde, tam in fo-
ro conscientia, quam in foro Ecclesiæ, & ta-
li casu, quod Ecclesia judicat in foro externo,
dicimus hoc idem judicandum esse in foro
conscientia; quia uterque forus idem judicat,
ubi externus non nititur falsæ præsumptioni,
sicuti hic non nititur. Plura adhuc alibi de
hac quæstione.

Quod Ec-
clesia hic
judicat in
foro exter-
no, idem est
judicandum
in foro con-
scientia.

Impræsentiarum transeo à verbis, quæ re-
gulariter adhibentur ad contractum Matrimo-
nii, ad signa realia æquipollentia, nam &
hæc diximus sufficere. Sit ergo

CONCLUSIO V.

Signum externum sufficiens ad
contractum Matrimonii, potest
esse nuptus, porrectio manuum,
donatio annuli seu subarrhatio,
tractio in domum Sponsi;
immò, secluso scandalo, copula
carnalis.

Hactenus egimus de verbis formalibus
seu propriè dictis, quibus certò aut du-
biè contrahitur Matrimonium vel sponsalia.
Sequitur agendum de signis realibus æqui-
valentibus, quæ Concluf. 3. diximus suffi-
cere sive ad validum, sive ad licitum contra-
ctum, ut de sponsalibus manifestum est
apud Omnes; de Matrimonio autem ibi late
probavimus.

161.

Atque in primis interrogante Parocho vel
comparte, an velit se, aut talem personam
habere vel accipere pro marito, vel uxore,
optime respondetur, & exprimitur consen-
sus de præsentis, capite annuendo. Et tali
modo solent muti contrahere Matrimo-
nium. Idemque judicium est de sponsali-
bus,

Nuptus ve-
dè contra-
hitur Ma-
rimonium.

bus, si comparis interroget, an fidem det de Matrimonio secum contrahendo, si annuat capite, perficiuntur sponsalia; quia per illum nutum sufficienter exprimitur consensus de futuro.

162. *Sicut nutu (inquit Gloss. cap. Cum tibi, 13. de Testam. verb. Dispositionem) possunt aliqua relinquere, Cod. de Fideicom. Et in Epistola. ff. de Legat. 3. Nutu. Et sicut nutu deprehenditur voluntas obmutescens, 26. c. 6. Qui recedunt; sic nutu de æquitate canonica fit testamentum, sicut & sufficit ad locutionem alterius, quod quis annuat testibus presentibus, & dicitur decedere testatus, & tale testamentum dicitur nuncupativum, Cod. Qui test. fac. pos. Hac consultiissima. Si nutus sufficiat ad condendum testamentum, quod est ultima voluntas hominis; adeoque sufficienter exprimit hanc voluntatem; quidni etiam sufficere possit ad contrahendum Matrimonium, aut sponsalia; adeoque ad exprimendum consensum de presenti vel futuro, necessarium respectivè ad hos contractus?*

Cap. 31. de Sponfal. verb. Dicente, ibi: *Et si consensum exprimat alter aliquo signo vel nutu, licet nihil exprimat ore, satis videtur.* Et infra rationem reddit: *Nam multa propter verecundiam annuntius potius, quam loquantur, maxime presentibus parentibus.* Item cap. Tua, 25. eod. verb. *Verba, ibi: Si tamen parentes contrahant pro filiis presentibus, & scientibus, sufficit nutu eorum taciturnitas, 32. q. 2. Honorantur. ff. de Sponfal. Sed ea que Patris.* De sufficientia itaque hujus signi non est dubitandum.

163. *An sufficiat porrectio manuum.* Sanchez. Secundum signum solet vocari porrectio manuum, de qua Sanchez lib. 1. disp. 22. n. 6. sic ait: *Si cum tractaretur de Matrimonio contrahendo, viro promittenti Matrimonium, femina requisita spontè manum dedit ad fidem recipendam, sunt sponsalia; quia id sufficiens repromissionis signum est; tacens enim consentire censetur, etiam ubi agitur de obligatione personæ contrahenda, si aliquis actus positivus concurrat. Idem crederem, si sponsus promitteret Matrimonium, dummodo ipsa traderet corpus, ipsaque statim traderet; traditio enim illa est sufficientissimum repromissionis indicium. Hæc ille. Par autem est ratio, si femina exprimenti consensum Matrimoniale de presenti, vir spontè porrigat manum, aut tradat corpus.*

164. *An sufficiat non retrahere manum? Affirmat Pontius contra Sanchez.* Cap. r. de Sponfa duor. Sed quid, si vir, femina manum apprehendens, dicat: *Do tibi fidem de contrahendo Matrimonio, vel, Contraho tecum, & illa non retrahat manum?* Sanchez supra putat, non esse sponsalia, aut Matrimonium. Contrarium sustinet Pontius lib. 2. cap. 11. n. 8. Si enim, inquit Basil. repugnaret, manum utique retraheret. Atque pro hac sententia non inutiliter expendi posset illud ex cap. 1. de

Sponfa duorum: *Non stringit manum.* Ratio, quæ me movet, hæc est; quia sicut perseverare in cohabitatione, quando fuit à principio nullum Matrimonium, cessante impedimento, cum scientia sufficienti, est signum consensûs, jure saltem antiquo, ita etiam non retrahere manum apprehensam, quæ signum, fidei datæ solet esse, est reverà porrigere & fidem alstringere eo actu publico, vel perseverantia in eo actu publico. Hæc ille.

Sed contra 1. illud: *Non stringit manum, inutiliter expenditur: verba juris hæc sunt: Fides autem consensus est, quando et si non stringit manum, corde tamen & ore consentit dicere, & nutu se concedit unus alii, & nutu se suscipiunt.* Ubi Gloss. verb. *Et si non stringit: Fortè per annuli immisionem, 30. q. 5. Feminae. Cum enim stringit manum signum dilectionis est. Vel fortè alludit consuetudini aliquo loci. Ber. Jam autem non retrahere manum, non est signum dilectionis, saltem positivæ, qualis dilectio requiritur ad Matrimonium; quippe ex verecundia fieri potest, ut femina non retrahat manum, tamen nullatenus consentiat vel in Matrimonium, vel in sponsalia; & nusquam in jure illa non retractio statuitur signum consensûs, ac aliunde certum est, Stringere, aut, Constringere, ex vi verbi aliquid aliud significare, quam non retractionem, scilicet apprehensionem, & quidem fortem, ut videre est in Calepino; non oportet autem hic recedere à propria significatione illius verbi.*

Secundò, disparitas inter cohabitationem, & non retractionem manûs, manifesta est: nam ipsa primò voluntariè omnino, idque post consensum, quamvis invalidum, cohabitare coepit, quid ergo mirum, si perseverantia cohabitationis sit signum sufficiens renovati consensûs? Hæc autem nunquam voluntariè dedit manum, nec unquam verbis consensit, vel saltem invalidè. Itaque ad minus hoc signum dubium est.

Venio ad tertium signum, quod est donatio annuli seu subarratio; Notat autem Sanchez supra n. 1. hoc signum esse æqui vocum, quare si nihil præcesserit, ex quo Matrimonium aut sponsalia præsumi valeant, neutrius signum erit: quia ex aliis causis, ut ex amore turpi fieri potest. Sin autem præcesserit verbum Matrimonii, operatur Matrimonium, inquit Sanchez supra n. 3. si verò sponsalium, sponsalia: quia tacens consentit facto ipso, dum annulum recipit. Sic Gloss. cap. Tua, 25. de Sponfal. verb. *Verba, ibi: Et idem credo si per alios contrahatur (Matrimonium) subsequente annuli subarratione, ut not. inf. sit. proximo c. ul. in prima notula. Et cap. penult. eod. verb. Dicente, ibi: Et ita non refert, dummodo consensus exprimat, etiam in loquentibus, subsecutà subarratione per immisionem annuli.* Ali.

Secunda probatio ex c. x. de Matrim. contr. &c.

171. An in eo cap. fuerit Matrim. in m.

167.

At debeat annulari in medio digito signum Matrim. Sanchez.

Aliqui hoc temperant (prosequitur Sanchez supra n. 4.) quando annulus in medio digito annullari ponitur; quia ibi est quædam vena, quæ in cor ipsum protenditur, & idèd in signum mutæ dilectionis in eo imponitur. Dicendum tamen est, inquit ille, id requiri, ut præsumatur Matrimonium, quando verò non ponitur in medio digito, præsumi sponsalia. Quia cum sponsalia non sint ipsa conjunctio, sed conjunctionis promissio, non oportet annulum in medio digito poni, ut cordium conjunctio significetur. Hæc ille cum Aliis, quos citat. Eo semper salvo, ut consuetudo loci non determinaverit hoc signum, vel ad sponsalia tantum significanda, vel ad solum Matrimonium. Hæc enim consuetudo ante omnia observanda est, & juxta illam res dijudicanda.

168.

Quid si sponsalia fuerint latius contracta, ut sit signum sponsalium Pontius.

Unde si juxta loci consuetudinem est tantum signum sponsalium, etiam si (inquit Pontius supra n. 4.) ex parte unius præcedat consensus Matrimonii, tantum efficient sponsalia annulus & subarrhatio. Ratio est; quia cum signa substituuntur pro rebus, idem est ac si feminae dicenti de præsentibus: *Consentio*, alius responderet se consensurum esse; non enim fieret Matrimonium; cum in utroque debeat esse mutuus consensus, nec enim claudicare potest vinculum Matrimonii. Hæc ille. Secus dicendum, si juxta loci consuetudinem illa subarrhatio sit signum Matrimonii; tunc enim exprimitur illa subarrhatione consensus conjugalis ex parte viri, & idèd tunc perficitur Matrimonium, juxta Glossam in cap. penult. de Sponsal. supra allegatam.

169.

Quid si sit signum Matrimonii, ut sit signum sponsalium Pontius.

Sed quid, si juxta loci consuetudinem subarrhatio sit signum Matrimonii, & præcedentibus sponsalibus fiat subarrhatio? Affirmat Pontius supra n. 6. cum Aliis, quos citat, per eam sponsalia transire in Matrimonium. Probant Aliqui ex cap. fin. de Despons. impub. ibi: *Procul dubio inter eos non conjugium, sed sponsalia contracta fuerunt, quamvis ab ipso viro eadem fuerit subarrhata.* Sed non rectè (inquit Pontius) ex eo colligunt; quin potius ex eo colligi mihi videtur, sponsalia subarrhatione non fieri Matrimonium ex ultimis verbis, ibi; *Quamvis ab ipso viro &c.* Nam ante pubertatis annos tantum constant sponsalia, c. un. de Despons. impub. §. 2. in. 6. neque amplius judicanda sunt, etiam si subarrhata fuerit.

Respondeo: prorsus non amplius judicanda sunt. Sed nunquid idem dicendum post pubertatis annos? De hoc est, quod quæritur; & quia in illo jure dicitur, sponsalia tantum contracta fuere, eo quòd illa subarrhatio facta fuerit ante pubertatis annos, colligunt exinde Auctores illi, Matrimonium fore, si post annos pubertatis fieret.

170.

Sed videamus, an melior sit probatio Pon-

tii: Melius (inquit ille) probari posset ex cap. x. de Matr. contr. cont. interd. Eccles. ubi, post promissionem, factam nomine puellæ, missio donorum censetur efficere Matrimonium; & idèd gignere impedimentum, necum fratre postea contraheret. Ego enim existimo, id ex eo textu colligi; quia persuadeo, ibi fuisse Matrimonium ratum tantum, & ex eo ortam publicam honestatem, quia impedimentum, ortum ex sponsalibus, multo recentius est in Ecclesia. Illud autem Matrimonium solum contractum esse dicitur per munerum missionem, amplexus & oscula. Ratio etiam, quæ me mover, hæc est; quia signa loco verborum substituuntur. Si ergo subarrhatio est signum Matrimonii ex consuetudine, si post sponsalia sequatur, idem est, ac si verbis protestarentur, se contrahere Matrimonium. Quare non tam videntur sponsalia subarrhatione transire in Matrimonium, quam subarrhatione fieri Matrimonium, tanquam signo consensus de præsentibus, atque ita sentire videtur Tho. Sanchez disp. 22. citatà n. 2. citatis Aliis. Hactenus Pontius.

Sed ego persuadeo, ibi non fuisse Matrimonium ratum, sed mera sponsalia; quia Pontifex permittit, ut illa puella ad tertium virum revertatur, quod permittere non potuisset, aut saltem non permisisset, si contractus cum primo viro fuisset Matrimonium ratum. Exscribo verba juris: *Litteræ, quas tua nobis Fraternitas destinavit, expresso declarant, quòd cum quidam sororem suam jam nubilem, cuidam se daturum in uxorem, eà præsentibus & consentiente, præstito juramento firmasset: & illa non post multos dies, dona & munera viri secundum morem terræ spontè suscipiens, ipsum tanquam proprium virum sepe amplexata fuisset: tandem mortuo fratre, à proprio viro sui fratre, se desponsari permisit, & quòd ab illo cognita fuisset, mendaciter asseverat. Cumque ei prohibuisset publice, ne cui illorum, vel alicui se copularet, ipsa, spreto monitis tuis, alii nubere non exparuit. Demum cum mulieri præcepisset, ut ad domum matris rediret, ipsa nostram audientiam appellavit: Et infra. Mandamus, quatenus si est ita, præfatam mulierem (ne mandatum tuum contemptibile videatur) ad domum matris redire compellas, & imposita sibi de tanto excessu pœnitentiâ condignâ, postquam in domo materna per mensem steterit, ad tertium reverti permittas. Ubi Gloss. verb. *Daturum in uxorem, ait: Futuram scilicet, cum sponsalia tantum contraherentur.* Et verb. *Tanquam proprium virum: Spe, inquit, futuri Matrimonii, non rei præsentis, & ita non est Matrimonium, & hoc patet per finem.* Et verb. *Viri: Id est, sponsi.* Ergo secundum Glossam, & rei veritatem, ibi non fuit Matrimonium ratum, sed mera sponsalia de futuro. Proinde nec illud jus, melius probat hanc doctrinam. Atque hæc fati de tertio signo.*

Quar-

172.
An traditio sponsæ in domum sponsi sit signum consensus matrimonialis.
Covar.
Pontius.

Quartum signum potest esse traditio sponsæ in domum sponsi, & erit, accedente consuetudine. Alioquin per se loquendo, spectat ad ius Canonicum, contrarium est verius, ut docet Covar. tom. 1. de Sponsal. p. 1. c. 4. §. 2. n. 1. quem sequitur Pontius sup. n. 9. Ratio est; quia in nullo iure Canonico cautum videtur, ut sponsalia transeant in Matrimonium per traditionem, sed dumtaxat per copulam. Cumque ea dispositio sit exorbitans à iure, non est ad alium casum extendenda. Præsertim cum nitatur præsumptione; præsumptionis autem ratio hic non militet, scilicet evitatio peccati.

Notat autem Covar. supra in duobus casibus procedere oppositam sententiam Joannis Andreæ in cap. fin. de Sponsal. & Aliorum. Primò; quando est dubium grave, an præceperint sponsalia de futuro, an de præsentibus in hoc enim dubio ex traditione ad domum præsumi potest, præsentia sponsalia fuisse de præsentibus: & sic præstitum fuisse ante traditionem consensum conjugalem. Secundò; quando sponsa fuit tradita ad domum sponsi cum illa solemnitate, quâ duci solent uxores ad maritorum domos, arg. cap. Vidua. de Regular. Et ita putat hic Auctor intelligendam l. 5 ff. de Ritu nupt. sequentis tenoris: *Mulierem absentem per litteras ejus, vel per nuntium posse nubere placet, si in domum ejus auferretur. Eam verò quæ abesset, ex litteris, vel nuntio suo duci à marito non posse. Deductione enim opus esse in mariti, non in uxoris domum, quasi in domicilium Matrimonii.*

C. 4. de Regular.
l. 5. ff. de Ritu nupt.

173.
Videtur Pontius, quod sit, ex iure civili.

Et quidem ex hac lege, & similibus, Pontius supra n. 11. existimat, iure civili traditionem esse signum nuptialis consensus. Vide ipsum. Quod si verum est, quid ni etiam iure Canonico, quandoquidem oppositum in eo non inveniatur decretum? Porro juxta cap. 1. de Novi operis nuntiatione: *Sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Ubi Gloss. verb. *Adjuvantur*, inquit: *Et ita in causa Ecclesiastica (qualis est causa Matrimonialis) leges possimus allegare, ut etiam si Canones deficiant, possit judicari secundum Leges, 10 dist. Lege. & cap. Si in adiutorium, 23. q. 2. Historia. 54. dist. Ex Antiquis.*

174.
An copula carnalis sit tale signum?

Potest esse ex voluntate contrahentium.

Restat ultimum signum, scilicet copula carnalis, quod indubiè valet, ubi licitum est Matrimonium clandestinum, si sponsus dicat sponsæ (immo et si non esset sponsus, & sponsa) *Pro illo tempore consentiam de presenti, quando cognoscam te: & similiter sponsa dicat sponso: Pro illo tempore, quo cognosces me consentiam de presenti;* tunc enim copulâ secutâ, contentur de presenti consentire per illud signum; si enim contrahentes, ut dictum est supra, possunt instituire signa vocalia, quibus

mutud significant contentum de presenti, & conlequenter contrahant Matrimonium, quid ni etiam possunt instituire talia signa realia? Et quid ni tale signum possit esse, non solum copula, sed etiam nixus ad copulam, vel amplexus aut oscula, vel alii tactus honesti vel inhonesti?

Interim, quia copula illa non potest sine scandalo haberi, ubi requiritur præsentia Parochi & testium, ideo tale signum, ubi Matrimonium clandestinum non valet, esset illicitum, quàmvis validum, dummodo Parochus & testes instructi essent de institutione talis signi, ita ut illam institutionem sufficienter possent probare. Quod addo; quia ideo requiritur illa præsentia, ut infra videbimus, ut possit probari in foro Ecclesiæ Matrimonium fuisse contractum, quod fieri non potest, nisi Parochus & testes noverint institutionem taliter, ut possint eam probare.

An autem aliquando ex constitutione juris, copula, vel nixus ad copulam, sit signum consensus de præsentibus, est impertinens ad veritatem Conclus. In primis certum est, quod ex sola copula in iure non præsumitur Matrimonium. Colligitur ex cap. 1. 30. q. 5. *Aliud legitimum non sit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & a quibus custoditur, uxor petatur, & a parentibus & propinquiorebus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdos aliter, in mos est, cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur, & a Paranympis, ut consuetudo docet, custodia & sociata, à proximis congruo tempore petita, legibus detur, ac solemniter accipitur, & biduo vel triduo orationibus vacent & castitatem custodiant.* Item. *Ita peracta, legitima scitote esse connubia: aliter verò præsumpta, non conjugia, sed adulteria vel contubernia, vel supra aut fornicationes potius, quam legitima conjugia esse non ambitate, nisi voluntas propria suffragaverit & vota succurrerint legitima.* Ita Evaristus Papa scribens Episcopo Africæ Epistolâ 1.

Ubi, ut vides, copulæ, quæ sunt, non præmissis illis solemnitatibus, vocantur fornicationes, *Nisi voluntas propria suffragaverit*, id est, nisi adit consensus de presenti, alio signo externo expressus. Et sanè nihil manifestius, quàm infinitas quasi copulas haberi, absque consensu de præsentibus, hoc vel alio signo expresso; ideoque jus non potuit prudenter præsumere hunc consensum præcisè ex ipsa copula. Solum ergo præsumitur in iure consensus, quando alia præceperint, de quibus nunc sigillatim discepto.

Fieri potest, ut, propter impedimentum aliquod dirimens, Matrimonium invalidè contrahatur, in scis contrahentibus, tunc, secundum Omnes, cognito impedimento, & habitâ dispensatione, cohabitatio & copula carna-

C. fin. de
Coniug.
servat.

carnalis subsecuta est signum sufficiens novi consensûs; arg. cap. fin. de Coniugio serv. Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod G. Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, R. militem à muliere quadam propter conditionis separavit errorem. Itaque mandamus, quatenus si confiterit, quod miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quod, postquam intellexit conditionem ipsius, nec factio, nec verbo consenserit in eandem, propter quod per Cardinalem eundem ab ejus fuerat consortio separatus, contrahendi cum alia, liberam ipsi concedas auctoritate Apostolicâ facultatem. Ubi Gloss. verb. Nec factio. Puta, inquit, carnaliter cognoscendo eam, postquam intellexit illam esse ancillam, supra eod. Proposuit. Ubi clarius hæc res deciditur.

C. a. col.

Hæc sunt verba illius juris: Proposuit nobis M. mulier, quod cum vir ejus cum ea diutius permanisset, notam ei servilis conditionis objecit, asserens eam esse ancillam, quam liberam esse credebatur, cum eam duxit in uxorem. Et infra: Mandamus, quatenus si confiterit, quod idem vir presatam mulierem, postquam illam audivit esse ancillam, carnaliter cognovit; ipsam monitione præmissâ compellatis, ut eam sicut uxorem maritali affectione pertraheret. Ergo tali casu carnalis copula est signum novi consensûs de præfenti, id est, Ecclesia præsumit illam copulam habitam fuisse maritali affectu, quod sufficit ad revalidandum consensum antea invalidum, & per consequens, ad contrahendum de novo Matrimonium.

177.

Cap. de
Coniug.

Coniug.

Ita docet Gloss. in cap. Non debet. 8. de Coniug. verb. De cætero, ibi: Sed pone, quod post istam Constitutionem publicatam simul steterunt scienter? Dico, quod hoc ipso intelliguntur ratum habere Matrimonium; arg. supra de Coniugio servorum, Proposuit..... quia et si primus consensûs nullus fuit, postea potest confirmari, in Aushent. de Nupt. §. Si verò ab initio. col. 14. Sed videtur, quod verba necessaria sint, supra de Sponsal. Tux. & 29. q. 2. Si quis ingenuus, & novus consensûs requiritur supra de Eo, qui dux. in matr. cap. Veniens: & nisi expressè consentiat, antiquus consensûs videtur perdurare, qui nullus fuit, ff. de Preca. Sed si manente.... Joan. dicit, quod pro Matrimonio standum est, ex quo ex certa scientia post publicatam Constitutionem simul steterunt. Ipso enim factio Matrimonium inducitur, saltem præsumptum. Bern. Hæc Glossa.

Ex qua Covar. to. 1. de Matr. p. 2. c. 4. n. 8. colligit, Matrimonium contractum expresso consensu, qui tamen nullus est, ob impedimentum aliquod juris humani, effici legitimum, si adductâ Principis facultate ad contrahendum illud, vir & femina scienter in eodem conjugio perseveraverunt quoad carnale commercium. Ex hoc enim videntur exhibere novum consensum & validum ad conjugium per illa signa exteriora, quam opinionem Abbas & DD. ibi approbant communi-

ter, & pro ea est textus in cap. Proposuit, & c. fin. de Coniugio servorum, ubi ex Bern. Gloss. notat, ex coitu carnali, tempore idoneo scienter subsecuto, Matrimonium præsumi, si prius, consensûs verbis expressus, sed propter aliquam causam nullus, præcellerat, sicut ex copula post sponsalia subsecutâ Matrimonium præsumitur. Ita Covar.

Ex quo (prosequitur idem Auctor) subinfertur declaratio ad Gloss. in cap. 1. de Eo, qui dux. in Matr. dicentem, novum consensum esse necessarium, ut vir, qui vivente prima uxore, cum secunda, hoc ignorante, contraxit, mortuâ 1. conjugium cum 2. contraxisse dicatur. Satis enim tacite aliquo signo sufficienti novum consensum præstari: nempe si vir & femina scientes primam uxorem mortem obiisse, in conjunctione & cohabitatione perseverent.

Huic sententiæ Jurisconsultus Paulus in l. Eos, ff. de Ritu nupt. suffragari videtur si tamen juxta legitimum sensum intelligatur; inquit enim; Etsi contra mandata contractum sit Matrimonium in provincia: tamen post depositum officium, si in eadem voluntate perseveret, justas nuptias effici; & ideo postea liberos, natos ex justo Matrimonio, legitimos esse. Perseverare autem eos procul dubio intellexerim, si per cohabitationem conjugalem, aut aliquo sufficienti signo, consensum præstitisse intelligantur, cum & antea præstitus, nullus omnino fuerit. Sic & in leg. Si quis in senatorio, eod. tit. dum Ulpianus scribit: Si quis in senatorio ordine agens, libertinam habuerit uxorem; quamvis interim uxor non sit: attamen in ea conditione est, ut, si amisit dignitatem, uxor esse incipiat. Ut ipse interpretor, si novus consensûs utriusque expressus vel tacitus accesserit, neque satis, priori consensûs non contradicere. Hucusque Covar.

Atque hinc etiam (inquit Pontius sup. c. 12. n. 2.) intelligendus textus in c. Veniens, 13. de Sponsal. ubi cum femina sponsalia contraxisset cum quodam infans parentibus, & postea à parentibus alteri nuptui traderetur, quem illa ad verlabatur, diceretq; se jam à primo cognitam, atque ideo sponsalia priora in Matrimonium transiisse, repertum est, impeditos esse gradu consanguinitatis, atq; ad eod. inter illos Matrimonium esse non posse, etiam secutâ copulâ. Quare dum causa cum secundo vertetur de validitate Matrimonii, ille aliam duxit uxorem, & ea alteri nupsit. Res delata est ad Pontificem. Secundus ille intereà è vivis discessit. Respondet Pontifex sub hac forma verborum: Mandamus, quatenus si in veneritis, quod prædicta mulier à priori viro, judicio Ecclesiæ fuerit separata, & ab eodem T. sine contradictione Ecclesiæ in uxorem traducta, & ille, cui à parentibus fuit copulata, de præfenti vita decessit, prædictum T. monitione præmissâ compellatis, ut

Ee præ-

178.

Declaratur
Gloss. in c.
1. de Eo qui
duxit &c.

L. 65. ff. de
Ritu nupt.

179.

Quomodo
intelligendum
c. 13. de Sponsal.
ex Pontio.

præfatam Mariotam recipiat, & studeat maritali affectione tractare.

Considerat Pontifex (inquit Pontius) secundum decessisse; fortassis enim fuerat secundum validum conjugium, quo existente valido, non poterat cum tertio esse locus Matrimonii; jubetur autem & compellitur cum tertio remanere, quia habitatione & commercio post mortem alterius poterat ultimum conjugium constare. Aliàs, si de valore secundi, nulla esset dubitatio, quid opus erat illa addere: *Et ille, cui à parentibus &c. Hæc ille.*

180. Contra arguitur.

Sed contra facit; quod de invaliditate Matrimonii coacti nulla possit esse dubitatio; jam autem Matrimonium cum secundo fuerat coactum, ut patet ex his verbis, quæ in principio cap. leguntur: *Veniens ad Apostolicam Sedem Mariota, supplici insinuatione monstravit, quod quemdam adolescentem adamavit in tantum, quod uterque de Matrimonio contrahendo sub trium personarum testimonio præstitit juramentum: quod parentes mulieris ipsius ignorantes, eam invitam & reclamantem in uxorem alii tradiderunt, quem ita exhorruit, quod se ab eo nullo modo cognosci permisit. Ubi Gloss. verb. Reclamantem, interpret: Ergo non fuit Matrimonium, 31. q. 2. cap. 1. & 2. & inf. eod. cap. prox. Item verb. Decessit. ait: Maxime, quia idem esset si viveret: quia si invita tradita ei fuit, nullum fuit Matrimonium, infra cap. proximo. Hinc non erat opus illa addere: *Et ille, cui à parentibus &c. Addidit tamen Pontifex; quia forte mulier id expresserat in sua supplici insinuatione, aut propter aliam rationem, nobis incognitam. Atque hæc de primo modo, quo copula potest esse signum consensûs de præsentibus.**

181.

Alius modus, quo copula potest esse signum consensûs de præsentibus, puta, si præcesserint sponsalia, ex cap. 1. de Sponsalia duorum.

Secundus modus est, quando præcesserunt sponsalia secundum antiqui juris dispositionem, quæ adhuc locum habet in illis Regionibus, in quibus non obligat nova lex Conc. Trident. irritans Matrimonia clandestina. Probat ex cap. 1. de Sponsaliorum, ubi: *Est autem fides pactionis, quando aliquis promittit alicui fidem, quod eam ducet, si permiserit eum rem secum habere, vel etiam pro consensu. Ubi Gloss. verb. Si permiserit, sic ait: Si de fornicario coitu intelligas, conditio turpis est, & ideo pro non adjecta debet haberi, infra tit. proximo, & cap. ult. Unde si postea rem secum habuerit, statim est Matrimonium, inf. tit. proximo. De illis, & cap. Per tuas. Si de legitimo intelligas, multo fortius tenet Matrimonium, si coitus subsequatur: potius enim videtur hortatio, id est, quod permittat ei rem secum habere, sim. ff. de Tutela tuto. §. Sub conditione. *Ala. dixit, quod istud, Si, non tenetur conditionaliter, sed causative: quia in omni Matrimonio hæc causa, scilicet carnalis copula, debet interveni-**

re, saltem quoad propositum, 27. q. 2. cap. Beata Maria. Et exponit. Si permiserit, id est, quia permiserit. Sim. supra de Elect. Significasti. in verbo: Si diligis me. *Lau. dixit, quod per hoc quod dicit: Si permiserit &c. notat conationalem fidem pactionis. Per hoc quod sequitur: Vel etiam pro consensu, notat simplicem & absolutam fidem pactionis, vel per utrumque notatur conditio. Vel potest dici, quod per hoc notatur, quod fides pactionis, id est, sponsalia sub conditione contracta, duobus modis transit in fidem consensûs, id est, in Matrimonium de præsentibus, scilicet per carnalem copulam, vel per consensum de præsentibus, ut inf. tit. prox. De illis, & cap. Per tuas.*

Idem expressius statuitur c. 30. de Sponsal. *Is qui fidem dedit M. mulieri super Matrimonio contrahendo, carnali copula subsecuta, etsi in facte Ecclesia ducat aliam & cognoscat, ad primam redire tenetur: quia licet præsumptum primum Matrimonium videatur, contra præsumptionem tamen hujusmodi non est probatio admittenda.*

Eadem veritas colligitur ex cap. Veniens, cap. 15. eod. ibi: *Ideoque mandamus, quatenus si inveniatis, quod primam post fidem præstitam cognoverit, ipsum cum ea facias remanere. Et cap. fin. eod. l. quentis tenoris: Adolescens, qui dispensatam sibi per verba de futuro, licet sepe nuptiam fuerit, carnaliter non cognoscens, cum alia postmodum per verba de præsentibus contraxit: non primam, cum qua nec fuit verum Matrimonium ex forma contractus: nec præsumptum, cum conatus non habuisset effectum: sed secundam debet habere uxorem, quia fuisse Matrimonium præsumptum.*

Præsumit autem Ecclesia tali casu Matrimonium, siue consensum de præsentibus; quia ubi duæ præsumptiones esse possunt (inquit Pontius supra num. 3.) una, quod homo vellet evitare peccatum vel poenam: alia, quod velit delinquere, in dubio captivum est præsumptio, quod nolit delinquere, & sic culpam & poenam evitare, leg. Si constat, 4. Cod. de Compens. *Si constat pecuniam invicem deberi: ipso jure pro soluto compensationem haberi oportet ex eo tempore, quo ab utraque parte debetur, utique quoad concurrentes quantitates: eisque solius, quod amplius apud alterum est, usque debentur, si modo petitio eorum subsistit. Cum ergo de illo, qui promittit aliquam accipere in uxorem, & cum ea postmodum consummat copulam, dubitari possit, an voluerit fornicari, an verò tamquam cum uxore conjungi, & sic sponsalia de futuro, efficere de præsentibus; ac aliunde eas res occulta sit, Ecclesia autem non judicat de occultis; & aliàs unusquisque præsumatur bonus, quando non constat esse malum, præsumit meritò Ecclesia, quod peccare notuerunt, sed affectu maritali conjungi; & ideo*

Innoc. Pontius.

ralis copula inducit præsumptum Matrimonium.

Quod non ita accipiendum est, inquit Pontius supra, quasi Ecclesia sentiat, ex vi copulæ Matrimonium fieri, ut rectè notat Bassolis in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. in solut. ad argumenta; neque præsumit, quod illa copula sit licita, nisi præcesserit consensus mutuus de præsentem, expressus per verba, vel signa certa. Hunc autem consensum sic expressum, præsupponit Ecclesia præcessisse, dum rationabiliter præsumit bonum, de quo non est probatum malum, & idèò judicat Matrimonium consummatum. Atque hoc sensu intelligendi DD. qui dicunt; sponsalia per copulam transire in Matrimonium, quia scilicet ex secuta copulâ tanquam cum conjugè, præsumit Ecclesia jam inter illos præcessisse consensum mutuum, utriusque per verba de præsentem expressum. Hæc Pontius.

Verum enim verò nusquam Ecclesia, quod ego sciam, significat, suam præsumptionem fundatam esse in prævio consensu de præsentem, expressum per aliud signum externum, distinctum à copula; neque video necessitatem illius signi ad hoc, ut copula sit licita; cum enim per illum ipsum actum persona possit fieri sua, ut supra ostensum est, haud copulatur non suæ, sed ei quæ revera sua est; adèòque talis copula non est fornicatio, quæ essentialiter est copula cum non sua, sed verus actus matrimonialis; ad hunc enim sufficit; quòd personæ sciant, se per talem actum posse exprimere ex vi juris suum consensum de præsentem.

Alioquin, etiam quando præcessisset consensus de præsentem, sed invalidus, videretur necessarium, ut copulam præcederet novus consensus de præsentem, expressus per signum aliquod externum, distinctum à copula, quod nec ipse Pontius docet. Probatur Sequela; quia non apparet, quare copula minus apta sit ad significandum primum consensum de præsentem, quàm ad revalidandum consensum de præsentem invalidum; neque in jure invenitur aliquis textus, in quo copula declaratur potius revalidare consensum prius invalidum, quàm novum consensum exprimere; si ergo sit signum sufficiens externum revalidationis consensûs, etiam erit signum sufficiens externum omninò novi consensûs, non in omni casu, ut nimis clarum est, sed quando præcesserunt sponsalia.

Sed quid si tempore, quo accedit sponsus ad sponsam, ipse vel ipsa protestetur, se non accedere animo conjugali, sed fornicario? Innocentius (ut refert Pontius supra n. 4.) in cap. Veniens, 2. de Sponsal. censet, adhuc valere Matrimonium, & transire in conjugium; quia putat haberi pro turpi conditione, atque adèò

rejici à contractu, juxta textum in cap. finali de Condit. appof. ibi: Licet aliæ conditiones appofitæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi. Et ita non audiretur contra præsumptionem Ecclesiæ. Sed reverà eâ protestatione præmissa, imprimis certum est, non contrahi Matrimonium in foro conscientiarum; quippe nullum signum externum sufficit pro hoc foro, nisi adit internus consensus, ut patet ex supra dictis. Sed neque pro foro externo, si defectus interni consensûs sufficienter in eo possit probari. Deindè, ut notat Pontius supra, illa conditio potius est contra substantiam Matrimonii; nam per Matrimonium necessariò transfertur jus perpetuum in mutua corpora; qui autem præmittit talem protestationem, neutiquàm vult transferre jus in corpus suum; alioqui non esset talis copula fornicatio, quam tamen ipse vult esse fornicationem. Porro juxta cap. fin. de Condit. appof. Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur..... matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Pone (inquit Pontius supra) illum verbis contrahere, quorum loco substituat copula, ac dicere: Ego tecum contrahabo modo, cum animo tamen tecum fornicandi, non transfertur jus aliquod; aliàs non esset fornicatio copula subsequens. Idem ergo est, si prius animum suum explicuerit; jam enim non potest copula illa esse signum, vel præsumptio consensûs de præsentem, sufficienter expressi, cum expressus sit contrarius. Hæc ille.

Alia hic movetur quæstio de sponso, qui post prima sponsalia, contrahit secunda, citra consensum primæ sponsæ, & post hæc cognoscit primam sponsam; quæstio, inquam, est, an per illam copulam prima sponsalia transeant in Matrimonium. Pro parte affirmativa facit, quòd in dubio sit favendum Matrimonio. Deindè, quòd per secunda sponsalia non sit derogatum primis sponsalibus; undè hanc partem amplectitur Præpositus in cap. Is qui fidem, de Sponsal. n. 5. Partem autem negativam probat Pontius supra n. 6. quia in hoc casu cessat ratio præsumptionis Ecclesiæ, supra explicata; nam per secunda sponsalia ostendit, se à prima sponsa velle recedere. Negare non possum (inquit hic Auctor) casum esse dubitabilem: sed hoc posterius mihi verosimilius videtur speculari vè loquendo, licet in praxi favebit aliquis Matrimonio, quia causa favorabilis est. Hæc ille.

Mihi autem illud prius, etiam speculari vè loquendo, videtur verosimilius; licet quippe per secunda sponsalia ostenderit, se à prima sponsa velle recedere; equidem quia prima sponsalia manserunt valida, exigendo copulam à prima sponsa, satis ostendit mutationem suæ voluntatis; cumque affectu

C. fin. de Condit. appof.

187. Quid dicendum de sponso, qui post secunda sponsalia cognoscit primam sponsam. Præpositus, Pontius.

188. Perfici Matrimonium videtur verosimilius.

184. Pontius p. 1. cap. ex. vi. copula non fieri Matr. Bassolis.

185. Contra. g. 1.

186. Quid si sponsus vel sponsa protestetur, se non accedere animo conjugali, sed fornicario? Innocentius, 2. de Sponsal. censet, adhuc valere Matrimonium, & transire in conjugium; quia putat haberi pro turpi conditione, atque adèò

conjugali possit habere illam copulam, quid ni debeamus præsumere tali affectu eam habuisse? Præsertim in sententia Pontii, qui putat, illam copulam, ut sit signum sufficiens, debere præcedere aliud signum externum, quid enim si præcesserit? Absque dubio valet Matrimonium (nisi subesset impedimentum dirimens) quidquid fortè in contrarium præsumeret forum externum, eò quòd prius peccaverit, recedendo à primis sponalibus; & idèò fortè præsumeret, eum peccasse etiam in illa copula.

189.
Quid si utramque sponfam cognoverit?

Quòd si utramque sponfam cognoverit; certè cum secunda nullum præsumitur Matrimonium in jure. Ratio est aperta; quia sponfalia cum secunda fuerunt invalida, constantibus primis: atque adèò, nisi probetur cum secunda celebratum esse conjugium per verba de præfenti, & cum prima eum consensum non intervenisse, primum præsumitur Matrimonium, secundum autem invalidum & omninò nullum. Ita Pontius supra, citans Soto 4. dist. 27. q. 2. a. 3. dub. 3.

Pontius. Soto.

Sed quare tunc potius primum præsumitur Matrimonium, quàm dum habuit copulam cum sola prima? An fortè copula cum secunda, signum aliquod est consensus de præfenti cum prima? Videat Pontius, quid ad hoc respondeat.

Præterea; cum etiam copula sit signum consensus Matrimonii, si præcesserit tractatus de Matrimonio, ut vult Pontius supra n. 5. & probat ex cap. *Veniens*, 7. de Eo qui duxit &c. (sed perperam, cum ibi sit sermo de Matrimonio invalidè contracto) quid refert quòd sponfalia secunda fuerint invalida, nam saltem fuerunt tractatus aliquis de Matrimonio contrahendo. Hæc sufficiant de ipsa copula.

190.
An nixus in copulam inducat præsumptionem

Sequitur videndum, an etiam nixus in copulam, eà non secutà, similem inducat præsumptionem. Quòd non, videtur colligi ex cap. fin de Sponfal. *Adolescens, qui desponsatam sibi per verba de futuro, licet sæpè nixus fuerit* &c. vide supra. Et pro eadem sententia allegari possent omnia jura, in quibus decernitur, sponfalia subsecutà copulà transire in Matrimonium. Unde (inquit Pontius supra n. 7.) Antonius de Butrio in dict. cap. fin. n. 3. dicit, quòd licèt in delictis aliquando reputetur conatus pro facto, non tamen in contractibus. Et Card. in cap. *Adolescens*, inquit, dispositionem, quæ exorbitat à jure, qualis est hæc, requirere factum. Et Abbas ibidem n. 2. quòd quando lex inducit aliquid ex certa præsumptione & facto, non satisfieri illi juri, nisi illud factum sit perfectum, & ita non sufficere inchoationem: unde etiam in delictis non punitur poenà ordinarià, sed tantùm arbitrarià. Cujus rationem assignat Abbas, quia cum hæc sint odiosa, & deviantia à

Pontius. Anton. de Butrio. Card. Abbas.

jure communi, restringi debent, ut in cap. *Pana*, de Poenitentia dist. 1. Quod idem statuit & confirmat Præpositus in dict. cap. *Adolescens*, num. 2. Sequitur Rebellus lib. 2. Rebell. de Matr. q. 10. Sect. 1. Reg. 3. Hæcufque Pontius.

Verùm (prosequitur num. 8. idem Auctor) Nonnulli contra sentiunt, quos refert Præpositus in cap. *Juvenis*, de Sponfal. num. 3. & cap. fin. n. 5. & quidem cum magna probabilitatis specie.

Inducuntur primò: quia in cap. *Super*, 4. de Bigamis non ord. conatùs ineundi Matrimonii, licèt invalidi, omninò bigamiam inducit, ibi: *Nos autem in hac questione taliter respondemus, quòd cum hujusmodi Clerici, quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt, tanquam cum bigamis non liceat dispensari, licèt in veritate bigami non existant, non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto.*

Respondet Pontius cum Antonio de Butrio in dict. cap. *Adolescens*, n. 3. conatum illum habere ibi locum ex speciali juris dispositione in eo casu, & quoad inducendam, non quidem veram bigamiam; sed poenam irregularitatis, propter delictum à Clerico commissum. Non verò inde efficitur, conatum etiam sufficientem præsumptionem esse ad inducendum Matrimonium.

Sed hoc est quod quaeritur, & probatum oportuit, non suppositum. Sanè hæc decisio Pontificis videtur fundata in generali ratione, quæ & nostro casui applicari possit; sic enim lego circa principium illius textus: *Tertius articulus videtur habere non modicum questionis: quoniam cum in Matrimonio contrahendis, non juris effectus, sed animi destinatio attendatur* &c. Cum ergo in casu nostro agatur de Matrimonio contrahendo, quid ni sufficiat animi destinatio ad copulam perficiendam, tamen si effectus seu copula non sequatur?

Secundò probant: ex textu in cap. *Juvenis*, 3. de Sponfal. *Juvenis, qui puellam nondum septennem duxit, quamvis ætas reprobaret, ex humana tamen fragilitate forsitan tenuit, quod complere non potuit. Quia igitur in his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus: tum propter honestatem Ecclesie, quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur: tum propter prædictam dubitationem: Mandamus, quatenus consubrinam ipsius puellæ, quam postmodum duxit, divedas ab eodem.* Ubi ob periculum, vel dubium attentatæ copulæ, censetur secundum Matrimonium invalidum.

Variæ adhibentur explicationes huic textui. Prima est; conatum illum reputari pro facto, ad inducendam publicam honestatem. Sed contra eam facit; quod publica honestas non

non contrahitur nisi ex sponsalibus, aut Matrimonio rato non consummato, non verò ex nixu copulæ. At Pontifex dicit, se dissolvere conjugium secundum, tum propter honestatem Ecclesiæ, tum propter prædictam dubitationem. Ergo nixus in illam copulam, efficit secundum Matrimonium invalidum, & primum validum. Ita Pontius supra n. 6. Secunda explicatio; quòd in minoribus ante legitimam ætatem non valent sponsalia, nisi concurrant duo, & quòd sint proximi ætati, & quòd sit tentata copula. Sed hoc nullo jure probatur; sufficit quippe, quòd malitia suppleat ætatem, ut patet ex alibi dictis.

Tertia; specialem in hoc casu esse juris dispositionem; quia Matrimonium impuberis non valebat, & ita ut aliquem effectum haberet, respexisse conatum. Itaque ex Matrimonio, simul & conatu ortum est illud impedimentum, non ex altero tantum.

Quarta explicatio, quæ est prima Pontii supra n. 10. idè conatum illum, seu nixum in copulam, adductum fuisse à Pontifice, non quasi is solus inducat impedimentum; neque quia in hoc casu, & non in alio; neque quia sponsalia per conatum transeant in Matrimonium; sed ut ex eo proberetur sufficiens malitia in ea ætate ad validè contrahendum Matrimonium. Textus enim iste est Eugenii, qui præcessit Innoc. III. quando Matrimonia ante pubertatem valere, inquit Pontius sup.

Sed quia hoc non omninò firmum videtur; idèdum. 11. subjungit aliam explicationem; scilicet, sponsalia non valere ante septennium, nisi postea accedat consensus, vel nisi malitia suppleat ætatem; jam autem ex copula attentata, saltem dubiè colligebat Pontifex, malitiam supplevisse ætatem, si fuerit attentata ante septennium; aut si post septennium, tali conatu approbatum fuisse consensum ante septennium præstitum, quod sufficiebat, ut sponsalia antea invalida, fierent valida, & per consequens inducerent impedimentum publicæ honestatis, propter quod secundum Matrimonium erat invalidum.

Concludo itaque, inquit Pontius supra, duo dubia considerasse Pontificem, quæ hic potuerunt intervenire. Primum; an publica honestas esset orta, ex sponsalibus illis, ante septennium celebratis, cum doli capaces conjectentur ex attentata copula. Aliud; si copula intervenit, quæ consummatà oriebatur affinitas; & quia in dubio tutior pars est eligenda, decernit Pontifex, ut separetur Matrimonium initum cum consobrino. Hæc ille.

Probat 3. ex ratione, quam Pontius supra n. 12. vocat valde probabilem, est quæ hujusmodi: idèd Ecclesia decernit sponsalia,

subsecuta copulâ, transire in Matrimonium; quia in dubio, an homo velit evitare culpam & poenam, præsumitur velle evitare; ac proinde in hoc casu præsumitur affectus maritalis, qui est necessarius ad evitandum peccatum. Sed eadem ratio est de copula solum attentata, quæ & ipsa peccaminosa foret, nisi procederet ex affectu maritali, cur ergo & hic non præsumat Ecclesia talem affectum?

Respondet Pontius supra: Quia per copulam consummatam planè femina tradit usum sui corporis, qui in illa magnopere æstimabilis est, aut quo nihil in illa, secundum rectam rationem, æstimabilius est, quod non reperitur in conatu copulæ. Quare jure præsumit, copiam sui corporis feminam non facere ei, in quem non consenserit de præsentibus post innita sponsalia. Itaque non præcisè ad evitandam suspensionem peccati id disponit Ecclesia; sed ad evitandam in tali materia subjecta, cum tali circumstantia, & plena corporis copia & traditione. Hoc enim factum post sponsalia, judicat Ecclesia vehementem & idoneam præsumptionem consensus, non verò alia, quæ minora & leviora sunt, & possent facilè præ hominum fragilitate, etiam sine consensu Matrimonii, intervenire. Hæc ille.

Sed contra: femina, quæ consentit in copulam, etiam consentit in copulam consummatam, idèd enim permittit eam attentari, ut possit habere consummatam, sive consummatio est finis attentationis; ergo qui consentit in attentationem, etiam consentit in consummationem, & per accidens est, quòd consummatio non sequatur; ergo per copulam attentatam tradit usum sui corporis quantum in se est, adeòque hoc factum post sponsalia, videtur esse vehemens & idonea præsumptio consensus Matrimonialis; aliud foret de solis tactibus absque ordine ad copulam.

Quid ergo ad cap. *Adolescens*, supra allegatum? Respondent Aliqui: casum illum fuisse de impubere, qui defectu ætatis non potuerat perficere copulam, & per consequens non potuerat habere legitimum consensum in Matrimonium, cap. fin. de Despons. impub. ibi: *Respondemus: quòd si puella nubilis non erat ætatis, cum sepefatus vir desponsavit eandem, & ætatem in ea prudentia non supplebat, procul dubio inter eos non conjugium, sed sponsalia contracta fuerunt.* Quid ergo mirum, si lex ex eo conatu non præsumat consensum Matrimoniale? Lex enim imitatur veritatem, & ubi locum non potest habere veritas, non fingit nec præsumit.

Respondet Pontius supra n. 13. ex textu non colligi, ea sponsalia contracta ante annos pubertatis, neque provenisse ex defectu ætatis, quòd illa cognosci non potuerit. Potuit

tionè, valde probabili juxta Pontium.

198. Resp. Pontii.

199. Contra arguitur.

200. Explicatur d. cap. fin. de Sponsal. de impubere. C. fin. de Despons. impub.

201. Non placet Pontio.

*Conclusio
ejus.*

*201.
Sponf.*

*202.
Aliiter con-
cludit A-
versa.*

*203.
Objectio
soluitur.*

*Clar. de
Spons.*

*C. 10. de
Despons.
impub.*

certè ex alia imbecillitate corporali & temporali provenire, aut quia illa arctior illi, & impar congressui cum illo, non verò cum alio. Quid si fortasse illud verbum: *Non potuit*, sit intelligendum, quia scilicet illa restitit? Quare tantum inter illos sponsalia fuerunt, & idèd valuit secundum conjugium. Hæc ille. Et statim concludit: Dicamus ergo cum communi DD. sententia, conatum copulæ non esse sufficiens signum ad Matrimonium, neque illius idoneam præsumptionem, si tantum præcesserunt sponsalia.

Aliter planè concludit Aversa hic q. 3. sect. 2. § *Uterius*. Dicendum ergo videtur, si consensus & conatus ad copulam fuit ex parte amborum; sed ex aliquo accidenti non potuit perfici, debere adhuc procedit illa ratio, ne admittatur delictum, quæ quidem maximè attenditur in voluntate & consensu ante actum & effectum copulæ; Textus autem debet intelligi, quando sponsus quidem nitentur devenire ad copulam, & inducere sponsam, sed illa renuit; tunc enim defuit consensus ex parte sponsæ, & idèd ex defectu effectus, id est, copulæ utriusque, & consensus sponsæ, non perfecto primo Matrimonio, validè perficit secundum. Hæc ille. Utraque ergo sententia est probabilis, & tuta in praxi; præsertim quando ex parte unius præcessit consensus de præsentibus, & statim, altero consentiente, sequitur conatus ad copulam; tunc enim censetur eo signo mutuat traditionem explicuisse, ut ait Pontius supra n. 15.

Si dixeris; quando dispositio exorbitat à jure, requirit factum, & non sufficit conatus. Respondeo; id verum esse, quando agitur, de incurrenda pœna, vel infligenda pro delicto; sed ad sumendum iudicium voluntatis vel affectus alicujus, & maximè perseverantiæ alicujus affectus. Hinc si impuberes contraxerint sponsalia de præsentibus, vel puber cum impubere, quamvis fictione juris reputentur sponsalia de futuro; tamen conatu copulæ, osculis, amplexibus, cohabitatione & traditione transeunt in Matrimonium, dummodo post pubertatem ea signa adhibeantur; arg. cap. 21. de Sponsal. Ad id, quod per tuas litteras intimasti de quadam parochiana tua, quam suus vitricus cuidam Tentonico Matrimonialiter copulavit: taliter respondemus, quod quamvis undecim annos habens, & ab initio invita fuisset ei tradita & renitens: tamen quia postmodum per annum & dimidium sibi cohabitans, consensisse videtur, ad ipsum esse cogenda redire.

Item cap. *Attestationes*, 10. de Spons. impub. ibi: *Et licet nixus fuisset (sicut uterque confessus est) ipsam corrumpere, mulier tamen cre-*

dit se virginem evasisse. Et infra, Consultationi tue taliter respondemus, quod si mulier per idoneos testes probare nequiverit, quod post 14. annorum ætatis suæ, vel circa finem 14. anni, prædictus juvenis consensisset in eam (scilicet verbo, vel facto, vel nixu copulæ) ab ipso juramento recepto, quod postquam ad legitimam ætatem pervenit, ipsam habere non consensit uxorem: ab impetitione mulieris cum potes & debes absolvere: & ad alia vota utrique dare licentiam transeundi.

Optimè autem probatur ex cap. un. de Despons. impub. in 6. §. *Idem quoque si pubes & impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, & in quibus ætatem malitia non superplebat, per verba contraxerint de præsentibus: sponsalia enim illa, quæ juris inter pretatione tantum fuerunt sponsalia de futuro... per adventum pubertatis in Matrimonium non transeunt de præsentibus: nec Matrimonium (quod in Matrimonio ætate non tenuit prohibente) per lapsum dicti temporis convalescit, nisi per carnis copulam subsecutam, vel aliquem modum alium, contrahentes eosdem, cum ejusdem perseverantiæ voluntatis, ad pubertatis tempora pervenisse constiterit evidentè.*

Ubi Gloss. verb. *Modum alium*, inquit: *Ut quia simul cohabitaverunt vel conjuges nominabant & amplexabantur ut conjuges. Ad id. Hic patet sponsalia de futuro transeunt in Matrimonium præter copulam carnalem, contra de Matr. contract. cap. 1. Archiepiscopus signat, sed non solvit. Tu dic, ut ibi scripsi super verb. Amplexata, quod sponsalia de futuro verbis & mente contrahentium, per amplexus, oscula & his similia non transeunt in Matrimonium; ut ibi. Nec mirum; quia nec per nixum carnis copulæ transeunt, ut supra de Sponsal. cap. fin. Sed illa, quæ verbis & mente contrahentium sunt de præsentibus, tamen juris interpretatione sunt de futuro, bene transeunt in Matrimonium præter copulam, per oscula, amplexus & similia. Inter venientia post tempus pubertatis, ut hic; utroque enim casu consensus fortificat, quod agebatur. Joan. Andr.*

Rationem disparitatis assignat Pontius supra n. 7. ex Præposito in cap. fin. de Sponsal. n. fin. Quia in sponsalibus de futuro, cum non habeant consensum de præsentibus contrahendi, non mirum, si lex ad hunc animum præsumendum requirat aliquod factum completum, scilicet copulam, neque vult quod sufficiat aliquod inchoatum, scilicet amplexus, oscula, conatus ad copulam. At in Matrimonio, contracto inter impuberes, adest voluntas contrahendi de præsentibus, sed voluntas contrahendi non perfecta, propter defectum ætatis: & idèd per aliquem actum, per quem demonstratur, post perfectam ætatem consentire, inducitur Matrimonium. Unde probanda est, & ad rem istam facit doctrina Gemi-

Geminiani, scilicet actum supervenientem declarare consensum secundum naturam verborum præcedentium, de quo extat decisio Rotæ apud Seraph. 1000. n. 1. Cumque ille consensus impuberum, sensu & significatione verborum sufficeret ad Matrimonium, nisi lege impediretur, non verò consensus de futuro; inde est, ut antecedente post pubertatem aliquo, quo indicetur perseverare idem animus, etiam si non sit copula consummata, valeat Matrimonium. Ita Pontius. Nec diffiteor ego; majorem esse rationem, in uno casu præsumendi consensum Matrimoniale, quam in alio; interim etiam esse sufficientem rationem præsumendi eundem consensum ex nixu in copulam inter puberes, quamvis non ex oculis & aliis tactibus, videtur nobis valde probabile.

Ceterum quæ hæcenus dicta sunt de copula, nixu in copulam, & similibus, non habent locum in illis locis, in quibus viget lex Conc. Trident. ut superius significavi; quia reverà sunt Matrimonia clandestina, nisi illa signa exhiberentur in præsentia Parochi & testium, quod regulariter non est natum fieri, & sæpè sine scandalo non potest fieri, ut supra notavimus.

Et hæcenus quidem de verbis aut factis, quibus ipsi contrahentes significant consensum suum sponsalium de futuro, aut Matrimoniale de præsentibus; restat examinandum, quomodo subinde verbis, aut factis aliorum, hi consensu explicentur.

CONCLUSIO VI.

Sufficit ad Matrimonium, & vera sponsalia constituenda, consensus parentum, expressus in præsentia filiorum, eis intelligentibus & tacentibus.

Hæc Conclusio potissimum fundatur in decisione Bonifacii VIII. cap. un. de Despons. impub. in 6. §. fin. sequentis tenoris: *Porro ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel tacite, ut si præsentibus fuerint, nec contradixerint, obligantur: & ex eis oritur justitia publicæ honestatis. Et est idem, si filii tempore sponsaliorum absentes, & etiam ignorantes, eadem sponsalia post scientes ratificaverint tacite vel expressè: aliàs ex sponsalibus contractis à parentibus pro filiis, nec ipsi filii obligantur, nec publicæ honestatis justitia inde surgit.*

Equidem hæc constitutio explicitè solum loquitur de sponsalibus; unde in his certa est Conclusio. quidquid Pauci sine fundamento contradicant. Porro per ly *Parentes*,

non tantum pater, sed & mater intelligitur; & per ly *Filii*, intelliguntur etiam filii emancipati; itemque naturales & spurii. Ubi enim jus non distinguit, neque nos debemus distinguere, absque evidenti ratione, quæ hic non occurrit, ubi tantum consideratur reverentia debita naturæ, non patria potestas; itemque dilectio parentum, & cura quam solent habere pro bono filiorum.

Nonne mater potest offerre filium Religioni? Pater, quòd sic, ex cap. 2. 20. q. 1. in principio: *Addidisti adhuc, quòd si pater, vel mater, filium suamve intra septa monasterii in infantia annis subregulari tradiderint disciplinæ* &c. Ubi Gloss. verb. *Mater*: *Videtur ergo, quòd mater possit tradere filium suum Religioni ut infra ead. Quicumque à parentibus proprius in monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi perpetuò permanurum. Nam Anna Samuelem puerum natum & ablactatum Deo cum pietate obtulit* &c. Si mater possit filium offerre Religioni, cur non etiam poterit pro eo contrahere sponsalia, aut Matrimonium? Sed & appellare potest pro filio, 2. q. 6. c. *Non solent*, appellare pro 30. ibi: *Sed etsi mater, cum filii rem sententiâ filio, a q. 6. ver sam animadverteret, pro vocaverit, pietatis dans, dicendum est, & hanc audiri debere.*

Sed cum hæc satis certa sint de sponsalibus, ut supra insinuavi; de Matrimonio tamen res est incerta; nam in decisione Bonifacii hoc non exprimitur, & aliunde multò strictior est obligatio Matrimonii, quam sponsalium, ac facillè ex metu reverentiali oritur illa taciturnitas. Quòd decisio non loquatur de Matrimonio, planum est ex prioribus verbis: nam impuberes non possunt contrahere Matrimonium, ut ibidem decernit Pontifex §. præced. *Idem quoque* &c. Ergo per sponsalia, quæ parentes contrahunt pro filiis puberibus, vel impuberibus, Pontifex non potuit intelligere, nisi sponsalia de futuro.

Deinde, parentes plerumque non contrahunt Matrimonium pro filiis, maxime absentibus; ergo per sponsalia, quæ ibi dicuntur plerumque contrahere pro filiis, intelligi non possunt nisi sponsalia de futuro. Porro quòd sit strictior obligatio Matrimonii, evidens est, cum sponsalia ex multis causis dissolvi possint, Matrimonium autem sit indissolubile. Unde ad ipsum requiritur plenissima libertas, ut infra videbimus, cui præjudicat metus reverentialis.

His accedit (inquit Pontius lib. 2. cap. 14. n. 3. in fine) quod cum tota hæc dispositio de valore sponsalium, quæ celebrant parentes pro filiis, illis præsentibus, & tacentibus, nitatur in quadam præsumptione consensûs tacentis, non est firmum aliquod fundamentum, DD. judicasse eam taciturnitatis præsumptionem sufficientem ad judicandum validum Matrimonium, cum sit res longè majoris

salibus, & per ly Parentes intelligit etiam matrem.

208. *Mater potest offerre filium Religioni, ex c. 2. 20. q. 1.*

Potest & appellare pro filio, 2. q. 6. c. Non solent, appellare pro filio, a q. 6.

209. *Incertum est, an parentes pro filiis contrahant Matrim.*

Pontius;

Geminiani-
Seraph.

106.
Arenda
lex Trid.

107.
Pater
Contra
cas. 20. de
Despons. im-
pub. in 6.

Hic verus
negligit lo-
quatur de
spon-

joris momenti, & quæ magis veritate ipsa decidenda est, quam præsumptionibus, aut illis efficacissimis & urgentissimis. Hæc ille.

210. Nihilominus communis est DD. sententia, ut eod. n. in principio fatetur Pontius, etiam in Matrimonii Constitutionem Bonifacii locum habere, nonnullis DD. exceptis, quos ibidem citat. Et subjungit: Nisi me tot Doctorum auctoritas detineret, planè cum his Paucis sentirem, hanc Constitutionem Bonifacii non habere locum in Matrimonii, sed tantum in sponalibus de futuris. Ita Pontius.

Probat ex ratione.

Ego autem dico: ex illa decisione constat, taciturnitatem posse esse signum externum, manifestativum consensûs interni, & non satis ostenditur ex motivis contrariæ sententiæ, quod non possit esse signum externum manifestativum consensûs interni Matrimonialis; quamvis enim hic consensus majoris momenti sit, quam consensus sponalitus; haud equidem indè concluditur, quod requirat signum magis manifestativum, ut patet in nuptibus, qui æqualiter possunt esse signum utriusque consensus; cur ergo non similiter taciturnitas, quando commodè possunt filii contradicere? Nam ut habet Reg. Jur. 43.

Reg. 43. de Reg. juris in 6.

Qui tacet (scilicet quando debet & potest commodè contradicere) *consentire videtur.*

Canisius.

Quæ utique regula tametsi in multis casibus defendi non possit, ut bene ibi notat Canisius; equidem locum habere debet, quando in tacente concurrat aliqua conjectura, quæ consensum suadeat, veluti est, inquit hic Auctor, inter conjunctos, ut in l. *Filius familias*,

L. 16. ff. ad S. C. Maced. L. 2. ff. ad Munic.

16. ff. ad S. C. Maced. in leg. 2. ff. ad municipa. ubi sic dicitur: *Consensisse autem pater decurionatus filii videtur, si præsens nominationi non contradixit.* Quid ni ergo similiter, filius consensisse videatur Matrimonio, à patre pro ipso contracto, si præsens non contradixerit? Certè debebat in re tanti momenti, & poterat, ut suppono, commodè contradicere.

211. Objeçtio solvitur.

Si dixeris: hæc regula solum intelligitur in casibus, à jure expressis, ut communiter DD. in cap. 1. de Sentent. & re judicata. Respondendo: casum nostrum sufficienter esse expressum à juribus, hæcenus allegatis, & aliis similibus, in quibus taciturnitas inter patrem, & filium, approbatur tamquam signum consensûs, quamvis non expressè agatur in illis juribus de consensu Matrimoniali; cum aliunde ex jure non possit ostendi, quod manifestius signum requiratur ad Matrimonium.

212. Alia objeçtio solvitur.

Si rursùm objicias, ergo etiam extendi poterit Constitutio Bonifacii ad alios, quam ad parentes. Respondent Non pauci, concedendo totum; & primò nituntur Reg. jam allegatâ: *Qui tacet, consentire videtur*, quando agitur de re naturaliter appetibili, qualis res

est Matrimonium. Secundo probant ex cap. 1. de Matr. contr. cont. interd. Eccles. ubi sermo est de fratre, qui pro sorore contraxerat. Tertio, ex cap. *Ad id quod* de Sponal. ubi sermo est de vitrico, & cap. *Ex parte* de Restit. spoliat. in quo sermo est de patruo.

Atque huic sententiæ subscribit Pontius supra n. 7. docens Primò, talè Matrimonium per alios, quam parentes contractum, esse validum in foro conscientiæ. Inducor, inquit ille, hæc ratione, meo judicio, efficaci. Quia negari non potest, verba alterius à contractantibus, præsentibus & tacente contractante, esse sufficiens signum ad exprimentum consensum de præsentibus, ut constat ex dict. cap. un. verba parentum pro filiis sufficere: aliàs si ex se non esset sufficiens signum, non posset Pontifex id decernere, cum contractus ille constare debeat consensu, exterius sufficienter expresso; quia contractus humanus est, & Sacramentum sensibile. Habemus ergo, juxta naturam contractus sufficiens signum esse. Ex illius ergo natura sufficiens signum erunt verba alterius, illo præsentibus, & tacente. Neque in hoc, si naturam contractus spectes, discrimen est inter patrem, & matrem, aut extraneos. Atque adè, si spectes naturam hujus contractus, valere potest Matrimonium, per extraneos factum, ipso contractante præsentibus, atque tacente. Hæc ille.

Sed in primis, si hæc ratio est efficax, judicio Pontii, quomodo rectè antea dixit, *Nisi me tot DD. auctoritas detineret, planè cum his Paucis sentirem, hanc Constit. Bonif. non habere locum in Matrimonio?*

Deinde: respondere aliquis posset ad illam rationem, & dicere: si particulares homines (ut ipse Pontius alibi fatetur) possunt sibi ponere signa consensûs de præsentibus, quæ ex natura sua eum non significant, sed ex sola ipsorum institutione; cur Pontifex, qui est persona publica, non possit instituire aliquod signum commune, quo exprimaturs consensus pro sponalibus, sive consensus de futuro, & non consensus pro matrimonio, sive consensus de præsentibus? Vel quo exprimaturs consensus de præsentibus coram parentibus, & non coram extraneis? Sanè voces non significant nisi ex institutione humana illud, ad quod significantum institutæ sunt; & ita taciturnitas potuit institui signum, quo filius exprimeret suum consensum de futuro, vel de præsentibus, coram parentibus, & non coram extraneis, quamvis ex natura rei nec hunc nec illum consensum, etiam coram parentibus, significaret. Hæc ergo ratio non videtur esse efficax.

Docet præterea Pontius supra n. 8. etiam in foro externo validum debere judicari hujusmodi Matrimonium, quamvis rationes Aliorum, supra allegatas, mininè probet. Illud

Illud enim, inquit, quod desumitur ex Reg. Juris: *Qui tacet*, &c. futile est. Ea enim regula, ut rectè Pechius ibidem, multas patitur exceptiones. Id verò, quod adducitur ex cap. 1. de Matrim. contract. &c. nullius etiam momenti est; quia expressè dicitur, feminam & ore & corde consensisse, accipiendò munera secundum consuetudinem loci, & amplexando, osculando, virumque vocando. Hæc sunt verba textus: *Litteræ, quas tua nobis Fraternitas destinavit, expressè declarant, quòd cum quidam, sororem suam jam nubilem, cuidam se daturum in uxorem, eà præsentè & consentiente, præstito juramento firmasset; & illa non post multos dies, dona & munera viri, secundum morem terre, sponte suscipiens, ipsum tanquàm proprium virum sæpè amplexata fuisset.* Ubi Gloss. verb. *Præsentè, & consentiente*, inquit: *Expressè, & hoc agebatur, quòd mediante fratre tanquam procuratore sponsalia contraherentur, quòd fieri potest, ff. de Sponsal. l. ult. alias si per fratrem tantum contraherentur, non valerent, nisi ipsa posset à consentiret.*

Ex cap. *Ex parte*, potius videtur oppositum colligi, scilicet, non valuisse traductionem ibi factam per patrum, ibi: *Cum per solam traductionem (quam non præcesserunt sponsalia, vel consensus legitimus, nec fuerunt etiam subsecuta) nullum inter eos obligatorium vinculum sit contractum.*

Similiter ex cap. *Ad id quòd*, de Sponsal. nihil probatur. Traditur enim puella undecim annorum invita, permansit annum & dimidium cohabitando, censet Pontifex, eam consensisse, cum non fugerit tanto tempore, neque reclamaverit. Itaque non ex consensu vitrici, sed quòd post traductionem consenserit, & ratum habuerit vitrici factum, ibi: *Tamen, quia postmodum per annum & dimidium sibi cohabitans, consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire.* Illa ergo DD. fundamenta, mihi non probantur, inquit Pontius.

Nec mihi probantur; tamen existimem, non esse omninò futile illud, quod desumitur ex illa Reg. Juris: *Qui tacet* &c. ex eo præcisè, quòd patitur multas exceptiones; nam DD. illi probè hoc sciverunt, & idèd addiderunt illam limitationem: *Quando agitur de re naturaliter appetibili.* Probandum ergo manet Pontio; quod etiam in tali casu patiat exceptionem. Ego autem probò; quia, ut supra objiciebatur, illa regula solum intelligitur in casibus, à jure expressis; jam autem extraneos, seu alios, præter parentes, posse contrahere, vel solum sponsalia, pro præsentibus, & tacentibus, absque expressa commissione, nupiam in jure decernitur, sicuti expressè decernitur, parentes posse pro filiis præsentibus, & tacentibus contrahere sponsalia.

Quid ergo est, quod movet Pontium ad

hanc sententiam? Quia (inquit ille num. 9) quid spectasse dicemus Pontificem, ut id, quod jure naturali, juxta naturam contractus Matrimonii locum habere poterat, ut dictum est, ad solos parentes restringeret? An naturalis amor, quo soboles prosequuntur? Is autem non est minor in fratribus, atque adèd eà ratione ea Constitutio ad fratres etiam extendi deberet; neque enim, ut dicebat ille, *Fraterno quisquam est æquandus amori.* Est namque *Frater*, quasi, *ferè alter*, & ut docet Plutarchus de amore fraterno, omnia disposuit natura inter fratres, ut esset amor vehementior; est enim æqualitas; obstat enim inæqualitas amicitie; & quod ex eodem trunco procedere voluit, amputavit occasiones discordiæ. Quòd si aliquando inter fratres vehementissima odia videntur, quid mirum, exorbitant à lege naturæ, & aliquando etiam patres, suos fœtus odio habent.

Quòd autem extranei minùs prospicerent bono contrahentis, non obstat; est enim major libertas reclamandi, si extraneus contraheret eo præsentè, quàm si pater, cui obedire sæpè cogit reverentialis metus. Quare majus & verosimilius periculum imminere potest, si pater pro filio loquatur; sæpè enim fieri poterit, ut ex metu taceat, neque repugnet, quam si extraneus contrahat, quem minùs reveretur.

Quare dicamus, Pontificem, parentum potius, quàm aliorum meminisse; quia parentes, pro cura & sollicitudine erga filios, sunt, qui de illis copulandis agunt frequentius, alii nisi vocati rarò. Si semel autem vocati sunt, jam sunt veluti procuratores, & internuntii, habentque expressam voluntatem contrahentium; aut si non vocati id agerent, merito, qui præsens est, & audit, & intelligit, & tacet, consentire præsumitur in hoc casu; cum tam facile illum, qui ejus nomine contrahit, posset respuere. Hucusque Pontius.

Respondeo: Si extranei non vocati id agerent, immeritò qui præsens est, & audit, & intelligit, & tacet, consentire præsumitur in hoc casu, tamen si facile illum, qui ejus nomine contrahit, posset respuere; id enim non sufficit, sed insuper requiritur, quòd debeat respuere, nisi velit consentire; tunc autem debet respuere, quando jure sic cautum est, ut, qui in illis circumstantiis tacet, consentire censeatur. Mirum quòd Pontius non adverterit, se moveri ex illa Reg. *Qui tacet* &c. quam paulò ante rejecerat tanquam omninò futilem, eò quòd patiat multas exceptiones. Dicimus porrò nos, hanc regulam pati exceptionem in hoc casu; quia ipsa intelligenda est, quando ille, qui tacet, potest & debet contradicere.

Nec obstat, quòd Matrimonium sit res ap-

Quare Pontifex d. cap. un potius meminere parentum, quàm aliorum, ex Pontio.

218. Resp. Auctoris.

219.

F F pc

*Solvitur
objectio.
Sanchez.*

petibilis, in qua videtur habere locum illa regula, ut supra dicebant isti Doctores; nam, ut bene norat Sanchez lib. 1. disp. 23. num. 7. quamvis Matrimonium appetibile sit, at cum certa muliere vel viro contrahere, potest esse nocivum; quare cum parentum munus sit filios Matrimonio collocare, & præ nimio amore, quo ipsos prosequuntur; præsumatur fore, ut ipsis bene consulant, jure optimo judicatur consensus ex præsentia filii tacentis, quæ ratio in aliis non ita militat. Hæc ille. Et idem cum Aliis multis, quos citat, docet, Constat. Bonif. nullatenus ad alios præter parentes extendendam.

220.
*Odium pa-
rentis ra-
rum est:
L. 3. ff. de
legib.*

Fateor, parentes aliquando odisse filios; sed hoc rarum est, & idem hujus odii non habetur ratio; nam leges respiciunt ea quæ communiter accidunt arg. leg. 3. ff. de L. L. *fer-
ra constitui oportet, ut dixit Theophrastus, in his
quæ in τὸ πλείονος, id est, ut plurimum acci-
dunt, non quæ ἐκ παραλόγου, id est, ex inopinato.* Similiter loquitur l. 4. 5. & 6. eod. tit. At verò odia inter fratres satis frequentia sunt; ut quidam cecinerit: *Fratrum quoque gratia
rara.* Et multò frequentiora odia extraneorum, ut proinde meritò Pontifex censetur, noluisse eis dare potestatem, contrahendi sponsalia, aut Matrimonium pro præsentibus & tacentibus. Quippe propter potentiam extraneorum, vel aliam causam fieri aliquando potest, ut nec ipsis audeant contradicere. Et quamvis subinde liberius contradicere possent eis, quam parentibus; equidem illa libertas contradicendi, non fuit causa, movens Pontificem ad illam Constitutionem, adedque propter illam non debet hæc Constitutio extendi ad extraneos.

221.
*Obiectio.
Pontius.
Sanchez.*

Sed dicit aliquis cum Pontio supra n. 10. Sanchez supra num. 17. admittit, 2. partem istius Constit. in qua agitur de sponsalibus aut Matrimoniis, contractis à parentibus in absentia filiorum, extendi etiam ad extraneos, cum tamen Constit. tantum exprimat parentes; cur ergo primam ejus partem non intelligit etiam de utriusque? Verba enim Pontificis non latiore viam aperiunt, ut prima pars de parentibus tantum, secunda de utriusque intelligatur.

222.
Solvitur.

Respondeo: planè latiore viam aperiunt, quia in prima parte tantum requiritur non contradicere filiorum præsentium; in secunda autem parte requiritur ratificatio tacita vel expressa filiorum absentium; adedque signum aliquod, præter taciturnitatem, quo ipse filius significet suum consensum; unde tali casu filii dici debent magis per seipsum contrahere, quam per alios; & idem non refert, an parentes, an extranei fuerint, qui pro ipsis absentibus contraxerunt. Alioquin qui admitteret, etiam in 2. parte sufficere solam taciturnitatem,

ficuti Multi admittunt, quos citat Sanchez supra num. 16. consequenter admittere deberet, vel utramque partem extendi ad extraneos, vel neutram; sed quia id Sanchez non admittit, idem unam partem ad extraneos extendit, alteram non vult extendere.

Audiamus Gloss. in præfatum cap. un. verb. *Sponsalia Contracta*, inquit, *per parentes; & idem eadem ratione intelligas de qualibet alio, supra de Sponsal. Ad id quod, & supra de Matr. contract. contra interdict. Eccl. c. 1. quod huic bene concor. & hoc ibi tenet Hostiensis. Sed Innoc. ibi not. contrarium: dicens speciale in patre, ut nomine filie præsentis, & non contradicentis, possit sponsalia contrahere; ff. de Sponsal. Sed ea quæ Patris, & l. seq. Cod. de Nuptiis, Viduæ. Secus in ruore, ff. de Sponsal. Si puellæ. Et non obstat de Sponsal. Ad id quod; quia ibi intervenit carnis copula: aliis secus secundum eum. Sed verius videtur, quod dicit Hostiensis, licet Bernard. videatur ibi tenere opinionem Innoc. Et quòd illa Decretalis non loquatur de expresso consensu probatur: quia quare possit Papa ibi, verba, quæ sapiunt tacitum consensum? Item non invenimus, quòd paternus consensus aliquid in contractu matrimoniali impuberis operetur, aliis quam in precedentibus casibus. Hæc Gloss. Ex qua patet, utramque sententiam esse probabilem.*

Nec obstat sententia Sanchez (ut perperam existimat Pontius supra num. 12.) Indos sufficienter contrahere Matrimonium (ut ipse Sanchez fatetur supra num. 14.) si præsentibus, Gubernatori, contrahenti pro illis, non contradicant nec repugnent, idque quia ita servi ac timidi sunt; ut nec pedem moveant absque Gubernatoris consensu. Hoc, inquam, non obstat; quia hæc taciturnitas non habet illam vim ex jure naturali, vel ex lege Ecclesiastica seu Constit. illa Bonifacii; sed ex consuetudine legitime in illis terris præscripta, quòd si etiam eadem consuetudo in nostris partibus legitime foret introducta & præscripta, absque dubio illa taciturnitas valeret; sed de tali consuetudine hæc non constat, immò potius de contraria.

De cætero, quæ hæcenus dicta sunt, etiam verificantur in illis locis, in quibus receptum est Conc. Trident. dummodò parentes consentiant præsentibus filiis, & non contradicentibus, in præsentia Parochi, & duorum testium. Et consimiliter, si consentiant in absentia filiorum præsentem Parocho, & duobus testibus, & filii postmodum ratificent consensum parentum, vel extraneorum, præsentem eodem Parocho, & eisdem testibus. Ratio est; quia quoad modum significandi consensum nihil immutavit Concil. sed tantum voluit, ut consensus significaretur aliquo modo in præ-

præsentia Parochi, & duorum testium ad evitandos magnos abusus, ut infra proprio loco videbimus.

Consensus itaque contrahentium necessarius est, non solum internus, sed etiam externus, id est, internus, aliquo signo externo manifestatus. Sed nunquid, interrogat aliquis, Respublica, aut certe Deus, potest consensum in hoc contractu supplere, sicuti suppletur à Repub. in aliis contractibus? Hæc est nostra sententia:

CONCLUSIO VII.

Consensus in Matrimonio suppletur à solo Deo.

Suppono ex dictis in principio hujus Sectionis; distinctionem esse inter Matrimonium, & contractum Matrimonii, quod Matrimonium sit vinculum indissolubile inter marem & feminam, ex mutua translatione potestatis corporum suorum, in se invicem facta, ad procreandam prolem ac debitè educandam; contractus autem Matrimonii sit mutua illa translatio.

Suppono præterea; translationem illam de facto non fieri, nisi per consensum maris & feminae, sive, essentialiter & formaliter esse consensum, ut patet ex dictis Concl. 1.

Suppono denique; etiam alios contractus essentialiter & formaliter consistere in consensu contrahentium; nam omnis contractus est pactum, quod à pactioe dicitur: hæc autem definitur l. 1. ff. de Pactis: *Duorum plurimum in idem placitum consensus.* His suppositis.

Controvertitur inter DD. Catholicos, an saltem Deus possit supplere consensum maris & feminae in Matrimonio, ita ut oriatur idem vinculum seu eadem obligatio ex sola voluntate Divina, quæ de facto oritur ex consensu maris & feminae.

Conclusio nostra affirmat, quam Hiquæus in suo Comment. 4. dist. 28. q. un. n. 6. vocat magis consonam Doct. Subr. in dist. 26. Concl. 2. ubi docet, magis consonum esse, ut inducatur hæc obligatio per mutuum consensum, quam quod à Legislatore instituite, supple à Deo, induceretur, supponens induci potuisse. Et in fine Concl. 1. & aliàs docet, vinculum hoc esse de lege naturæ tanquam consonum, non verò necessarium, sicut principium, aut Conclusio necessariò sequens. Et dist. 27. q. 2. non loquitur de hoc consensu, verbis expresso, tanquam de causa præcisa simpliciter, & sine qua nequiret induci; causa autem efficiens, non involvens imperfectiorem, suppleri potest à Deo. Quod ergo consonum est tantum legi naturali, obligationem

non inducit ex natura sua, sed ex mente Legislatoris. Undè supra dist. 26. Concl. 1. probatum est, Matrimonium institutum esse, contra Vasquez, à Deo. Hæc ille.

Quidquid sit de mente Scoti, hæc sit principalis probatio hujus doctrinæ; quia consensus maris & feminae, tantum est causa efficiens Matrimonii seu vinculi matrimonialis, teste Florent. in Decret. Eug. ibi: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuum consensus per verba de presenti expressus;* neque apparet ulla imperfectio seu repugnantia in eo, quòd Deus illam causam efficientem suppleret in hoc contractu, sicuti Respub. Ecclesiastica vel Civilis supplet aliquando consensum suorum subditorum in aliis contractibus.

Respondet Pontius lib. 2. c. 3. num. 10. Cùm hæc matrimonialis conjunctio non tantum sit corporum, sed etiam animorum, per dominium mutuum ad utendum invicem, & hujusmodi dominium sine consensu esse repugnet, repugnat etiam, quòd ea conjunctio, quæ necessariò debet esse voluntaria, sit ab alio, quam à contrahentibus; veluti repugnat, actionem liberam voluntatis creatæ fieri à solo Deo, secundum modum libertatis.

Sed contra; conjunctio illa animorum non est ipsum vinculum matrimoniale, sed causa efficiens istius vinculi quantumcumque enim postea conjuges animis dissentiant, nihilominus manet vinculum Matrimonii; adeòque illud vinculum non potest essentialiter consistere in illo consensu seu conjunctioe animorum, quamvis illum supponat, tanquam causam sui efficientem, quam nos cõtendimus à Deo posse suppleri non minus, quam aliæ causæ efficientes, nisi ostendatur specialis repugnantia. Ostendum itaque manet Pontio, quòd dominium mutuum ad utendum invicem, repugnet esse sine consensu maris & feminae; & per consequens, quòd repugnet, ut conjunctio matrimonialis, quæ necessariò debet esse voluntaria, sit ab alio, quam à contrahentibus.

Porro conatur id ostendere Pontius supra num. 5. hæc ratione. Quia, ut non esset peccatum fornicationis accessus illorum, necessarium esset, ut vir non accederet alienam, sed suam, & mulier similiter: ergo debebat tradi à Deo corpus viri feminae, & e contra corpus feminae viro, scientibus etiam illis, unum transferri in potestatem alterius; aliàs nunquam licitè copulari possent, cùm præcepta naturalia indispensabilia sint. Ergo acceptabit uterque traditionem: traditio enim sine acceptatione intelligi nullo modo, neque ratione potest; sine meo namque consensu, nihil potest incipere esse meum. Ergo interveniat ibi necesse est mutua traditio, & ac-

Probatio principalis,

227. Responsio Pontii.

Rejicitur.

228. Probatio opposita sententia, ex Pontio.

ceptatio. Nam eo ipso quod est acceptatio, necessariò etiam per rationem intelligitur traditio; acceptat enim ad usum non alieni corporis, atque ideò vult etiam corpus suum non esse alienum. Ergo nihil deest ad veram Matrimonii rationem. Quare circumstantia corporis alieni, aliter quàm per Matrimonium, mutuo consensu celebratum, tolli non potest. Hæc ille.

229.
Confirmatio.

Et prosequitur n. 6. Sed quò magis constet verum esse, quod diximus, concidamus ista minutius & distinguamus. Vel quando Deus tradit viro corpus feminæ, & feminam viro, uterque consentit in eam traditionem, & cum eo consensu præmissò copulantur. Si hoc dicatur, planum est, ibi intervenire Matrimonium. Quid enim ampliùs ad Matrimonium requiratur non video. Quòd enim Deus fuerit, qui primò tradiderit, parùm refert, quandoquidem consenserint invicem illi traditioni, & cum eo consensu, quo voluerunt, unum transferri in potestatem mutuum alterius, copulati sint.

Vel traditio fuit à Deo facta, illis reluctantibus nolentibusque acceptare traditionem, à Deo factam unicuique de corpore alterius, & noluerunt copulari. Et in hoc casu, si potest aliquid acquiri alicui illo invito, dicemus, non esse reverà in illis voluntatem oppositam traditioni, quàm transferuntur mutuo, sed oppositam usui, quod non tollit rationem Matrimonii. Idque ex eo indicio colligi potest; quia si jam illi voluntariè copularentur, non accederent ad alienam, & ex consequenti erat signum animi & consensus illorum, quo consenserunt in dictam traditionem. Sed addo: nihil posse alicui quæri illo invito, licet auferri possit invito; traditionibus enim & usucapionibus dominia transferuntur. Hucusque Pontius.

230.
Contra arguitur.

Sed quò magis constet, falsum esse, quod dicit, concidamus ista minutius, & distinguamus. Prorsùs verum est, traditionibus & usucapionibus transferri dominia etiam corporum in Matrimonio; ergo nihil potest alicui quæri illo invito; disting. Consequens, illo invito, nisi aliquis suppleat ejus consensum, concedo totum: eo invito, dum aliquis supplet ejus consensum, nego Conseq. Pater in patre, qui dat aliquid filio, nondum emancipato, & nomine ipsius filii, etiam contra voluntatem ejus, acceptat eam donationem; nam ipsa valida est, & per eam acquiritur jus filio contra suam propriam voluntatem; quia voluntas parentis censetur voluntas filii. Similiter, quando pater contrahit nomine filii cum aliquo tertio, ipse filius obligatur, & itidem tertius, cum quo pater contraxit, tamen si fuerit factum contra voluntatem filii.

Confirmatur: quia nos omnes contraximus debitum peccati originalis, & ipsum ori-

ginale, in voluntate primi parentis, sine consensu propriæ voluntatis, & per consequens, debitum peccatæ. Cur ergo simili modo non possent vir & mulier contrahere obligationem seu vinculum Matrimonii? Maxime, cum si Adam perseverasset, nos omnes habuissemus jus ad justitiam originalem, etiam contra propriam voluntatem, suppleante ejus defectum voluntate Adami.

Itaque Deus se solo potest viro dare jus in corpus mulieris contra voluntatem mulieris, nisi tamen acceptet per se, vel per alium, et non acquiritur. Similiter potest mulieri dari jus in corpus viri contra voluntatem viri, nisi tamen acceptet per se, vel per alium, et non acquiritur; sin autem ambo acceptent per se, vel per alium, quid ni foret ibi vinculum Matrimonii; & per consequens, quid ni licet possent uti mutuis corporibus ad generationem prolis? Nemo dubitat. Sed negat Pontius Deum posse pro viro & muliere illam traditionem acceptare, & ideò, nisi ipsi propriam suam voluntatem eam acceptent, semper manere corpora eorum aliena, & ideò non posse esse licitum usum illorum corporum ad generationem prolis.

Quæro ego; cur potius voluntas mea suppleri potest à Deo in traditione proprii corporis, quàm in acceptatione alieni? Nulla quippe apparet ratio disparitatis. Sicut ergo donatio corporis mei, facta à Deo, qui est dominus corporis, sine meo consensu, valida est, ita & acceptatio corporis, quam Deus facit nomine meo, contra meam voluntatem, valida erit; non enim ostendi potest vel ex jure, vel ex ratione, potius requiri consensum proprium ad acceptationem, quàm ad donationem. Si ergo possit Deus suppleme meum consensum in donatione proprii corporis, cur non etiam in acceptatione corporis alieni?

Quia, inquis, per donationem proprii corporis, nihil acquiritur invito; sed tantum aliquid auferitur ab invito; in acceptatione corporis alieni, aliquid acquireretur invito, quod nequit fieri. Respondeo: jam supra diximus, aliquid posse acquiri invito per voluntatem alienam, suppletem defectum propriæ voluntatis.

Ceterum quod Pontius supra dicit n. 5. Cum præcepta naturæ alia indispensabilia sint, hoc apud nos, & omnes Scoticas est falsum; nam ipsi cum Scoto docent, Deum posse dispensare in præceptis 2. tabulæ, excepto eo, quod est de vitando mendacio; ergo tamen nec vir, nec mulier, vellent acceptare traditionem corporum, à Deo factam, adhuc absque peccato possent copulari, dummodo Deus dispensaret in præcepto. Non machaberis. Immo tamen non dispensaret, dummodo Deus traditionem factam pro ipsi acceptasset; copula enim à parte rei non foret fornicaria, tamen.

metu copularentur, reluctantes omnino acceptationi divinæ, & nolentes uti mutuo corpore tamquam proprio, sed tamquam alieno; sed tantum esset fornicatio in affectu voluntatis, quam etiam possunt committere, qui propria voluntate Matrimonium celebrant, si utantur mutuis corporibus, non tamquam propriis, sed tamquam alienis.

Præterea: non satis intelligo, quod Pontius ait supra n. 6. *Et in hoc casu, si potest aliquid acquiri alicui, illo invito; dicemus, non esse reverà in illis voluntatem oppositam traditioni, quâ transferuntur mutuo, sed oppositam usui, quod non tollit rationem Matrimonii.*

Quomodo enim hoc potest dici? Nam immediatè ante dicitur: *Vel traditio fuit à Deo facta, illis reluctantibus, nolentibusque acceptare traditionem, à Deo factam unicuique de corpore alterius, & noluerunt copulari.* Si traditio facta est illis reluctantibus, quomodo dicemus, non esse reverà in illis voluntatem oppositam traditioni? Et si aliquid potest acquiri alicui, illo invito, cur non poterit acquiri dominium corporis per traditionem, à Deo factam & à Deo acceptatam illis reluctantibus?

Hercule vinculum hoc (inquit Hiquæus supra n. 9.) non sequitur præcisè ex consensu conjugum, sed ex lege; quia ut est contractus legitimus inducit vinculum.

Unde impediti, aut inhabiles ad contrahendum, quantumlibet consentiant, non inducunt vinculum: & contrahentes alio modo, quam sit præscriptum per legem, similiter non inducunt vinculum: ergo consensus ipsorum, in virtute legis inducit vinculum, & non ex propria natura; ergo ut inducit, vel non inducit, continetur perfectè in voluntate Legislatoris, & consequenter potest disponere Legislator de vinculo, independentè à voluntate contrahentium. Ita argumentatur hic Auctor. Valeat quantum valere potest.

Meo iudicio tantum probat; Legislatorem posse invalidare consensum contrahentium, quod non solum habet locum in Deo, sed etiam in Legislatore humano; cum tamen Omnes ut certum supponant, neque Ecclesiam, neque Rempubliam Civilem posse hic supplere defectum consensûs contrahentium; quod tamen nos tribuimus Deo, non tantum, quia ipse instituit Matrimonium; sed maxime, quia ipse habet plenam & absolutam potestatem cum dominio perfectò in corpus, animam, & voluntatem conjugum, independentè ab eorum consensu; ergo potest eorum corpora tradere, & acceptare; tum ad usum generationis, tum ad perpetuam vitæ consuetudinem, independentè ab eorum consensu, quod sufficit ad vinculum matrimoniale; quamvis ipsi non possint uti mutuis corporibus, absque peccato inter-

no fornicationis, nisi ratum habeant, quod Deus pro ipsis fecit.

Dices cum Sanchio lib. 2. disp. 26. n. 5. ubi tenet oppositam sententiam; copulatio animorum conjugum pendet ab illorum voluntate consentienti, non tantum in genere causæ efficientis, sed quodammodò etiam in genere causæ formalis; sicut visio pendet à potentia visiva, & conjunctio affectiva amantis, & amati, ab amore voluntatis; hæ autem fieri nequeunt absque propriis causis.

Respondeo; sed nunquid hæ etiam permanere possunt absque propriis causis, sicut copulatio animorum conjugum, seu vinculum matrimoniale, permanere potest absque illorum voluntate? Si affirmas; dico, quod etiam primò produci possint absque propriis causis à solo Deo; quamvis non cum denominatione extrinseca actionis vitalis, aut liberæ; & consequenter concedi possent, illam obligationem seu vinculum, quod permanet inter conjuges ex sola Dei voluntate, non ita propriæ appellari posse vinculum Matrimoniale; interim à parte rei est idem cum illo, quod oritur ex proprio eorum consensu.

Itaque vinculum Matrimoniale non pendet à proprio consensu conjugum tamquam à causa formali intrinseca; sed dumtaxat, tanquam à causa efficiente aut formali extrinseca, quam Deus potest supplere. Nam voluntas, secundum Multorum sententiam, potest absolute ferri in incognitum; cum tamen cognitio sit aliqua forma extrinseca actûs voluntatis. Repugnat, inquit Hiquæus supra n. 7. causam formalem & efficientem concurrere in idem, respectu ejusdem effectus, sive physice, sive moraliter; quia ex modo, & genere caufandi differunt, cum causa efficiens extrinsecè se habeat ad effectum, causa formalis è contra intrinsecè, & actio causæ efficientis terminetur ad formam, & ejus unionem; nulla autem forma seipsâ unitur ex propria virtute. Consensus præterea, ut est actualis, transit, vinculum manet. Hæc ille.

Sed tantum probat, consensum non esse formam intrinsecam, quod Sanchez supra n. 6. admittit, dicens: Consensus non tantum est causa efficiens, sed etiam formalis, extrinseca tamen Matrimonii; sicut Deus nequit facere meritum, absque voluntatis consensu, cum tamen consensus sit causa efficiens meriti; quia meritum ut sic, non tantum dicit ordinem ad consensum voluntatis, tanquam ad causam efficientem, sed etiam tanquam ad formalem extrinsecam.

Respondeo disparitatem esse; quòd ad meritum requiratur essentialiter libertas indifferentiæ voluntatis humanæ, quæ neutiquam reperitur in actu, quem Deus se solo caufaret in voluntate; at verò, ut ego siam dominus alicujus corporis, etiam ad generationem

236. *Obiectio ex Sanchio.*

Solvitur.

237. *Vinculum Matrimoniale non pendet à proprio consensu conjugum, ut à causa formali intrinseca.* Hiquæus.

238. *Disparitas hic inter meritum & Matrimonium.*



prolis, sufficit, ut Deus, qui est dominus totius naturæ, & perfectius habet jus in nostra corpora, quam nos ipsi, velit me esse dominum istius corporis ad talem finem; hoc ipso enim possum licitè uti illo corpore, si velim, dummodo & alia pars possit licitè uti corpore meo; si autem nolit licitè uti, per hoc non tollitur obligatio; ac proinde ego sine peccato possem contra voluntatem alterius uti ejus corpore; quia ab ipso pendet, ut etiam bene utatur meo corpore, adedque peccatum, si quod intercedit, ipsi, non mihi imputari debet.

239.
Alia ob-
jectio ex San-
chio.

Si rursus objicias cum Sanchio supra n. 5. Nequit Deus constituere relationem in aliquo, cum vero actu formali illius absque ejus fundamento; ut paternitatem in aliquo, per quam verè pater dicatur, absque generandi actu: sed Matrimonium est relatio inter conjuges, consensus autem est fundamentum; ergo implicat Matrimonium esse absque proprio consensu.

Resp. Hi-
guai.

Respondet Hiquæus supra n. 9. paternitas non dependet à generatione, ut à fundamento, seu subiecto inherentiæ, sed ut à ratione fundandi; quia nempe generatio requiritur, ut ponatur terminus paternitatis in esse, scilicet filius, sine quo nequit paternitas esse; sed in proposito non ita se habet consensus ad vinculum, quod inter personas resultat, posito consensu, & eo præterito manet; quia perinde inesset per solam Dei voluntatem, vel per actum voluntatis aliorum, si Deus institueret sic, tradendo hanc potestatem Reipublicæ, aut parentibus: ergo non præcisè ita dependet à voluntate propria conjugum, quin de potentia absoluta aliter fieri possit. Hæc ille.

240.
Vinculum
matrimo-
niale est ve-
l ratio ratio-
nis, ex Scoto.

Adde; vinculum Matrimoniale non esse aliquam relationem, saltem realem intrinsecus advenientem, seu prædicamentalem strictè dictam, qualis est paternitas, sed extrinsecus tantum advenientem. *Vel, quod verius videtur* (inquit Scotus 4. dist. 26. q. un. n. 16.) *relatio rationis; quia nihil est ibi, nisi dominium novum, & nova servitus per novam commutationem: sed dominium tale, vel servitus nihil reale ponit in domino, vel servo.* Quid ergo? Ens aliquod morale, sicut est omne dominium vel jus in aliquam aliam rem. A parte rei nihil est aliud, quam fuisse præstitum consensum in talem, vel talem rem. Nulla autem est ratio, quare sicut Deus potest supplere illum consensum respectu aliarum rerum; ita etiam non possit eundem supplere respectu corporis ad actum generationis, transferendo dominium; ita ut licitè possint uti mutuo corpore, si velint uti dominio, sibi concessio, & à parte rei competente; quid autem aliud ad vinculum Matrimoniale requiritur?

241.

Inferat aliquis: igitur etiam sine mutuo

proprio consensu habebitur non solum vinculum Matrimoniale, sed etiam contractus Matrimonialis; sicut quando pater contrahit pro filio, vel tutor pro pupillo, filius & pupillus consentur talem contractum celebrare.

Respondeo; quæstionem esse de nomine; veluti, quando Deus se solo aliquem obligaret (sicuti obligare potest) ad vota Religionis; talis quippe propriè non diceretur votare, quia votum videtur significare promissionem, quæ essentialiter dicit proprium consensum. Et sic itidem contractus Matrimonialis in rigore videtur importare consensum proprium. Aliud est de contractu patris pro filio, aut tutoris pro pupillo: quia ibi verè pater & tutor contrahunt; Deus autem non potest dici propriè contrahere Matrimonium, est eo modo, quo dictum est, transferret dominium corporum; sed solum utitur supremo dominio, & liberà dispositione de re propria, quæ non alligatur voluntati creature, nisi tantum ex condementia, & non ex necessitate.

Undè licet admitteret aliquis, Deum non posse inducere vinculum Religionis, ortum ex voto, sine consensu & actu voti, adhuc non posset negare secundum Hiquæum supra n. 12. hanc Conseq. ergo similiter non potest inducere vinculum Matrimonii; quia, inquit ille, votum essentialiter includit promissionem, quæ nequit esse sine proprio actu promittentis; at vinculum Matrimonii consistit in dominio, & servitute, quæ ex mera potestate Dei, supremi Domini, potest induci sine actu conjugum. Hæc ille. Interim docet eodem numero, Deum posse suo præcepto inducere eandem obligationem in specie, ex motivo etiam Religionis, & imponere observantiam trium virtutum Evangelicarum, citra consensum ejus, cui imponeretur talis obligatio.

Sed quæro ego; tali casu oriretur obligatio ex contractu Matrimonii? Quomodo, quandoquidem nullus contractus præcesserit? Siquidem, ut statim dixi, Deus non propriè diceretur contrahere Matrimonium, sicuti etiam non propriè diceretur votare, quando alteri imponeret obligationem ex Religione trium virtutum Evangelicarum. Proinde sicuti hæc obligatio non oriretur ex voto, ita nec ista ex contractu Matrimonii; nam contractus Matrimonii tam essentialiter includit proprium consensum, quam votum Religionis. Et hinc, sicuti Deus, quamvis possit mihi imponere obligationem justitiæ, & etiam Religionis in ordine ad statum Religiosum, non tamen obligationem specificam fidelitatis ad Deum; quia hæc supponit essentialiter promissionem; sic itidem, quamvis possit imponere obligationem justitiæ in ordine ad statum Matrimoniale, haud equi-

dem obligationem conjugis, quatenus foret ex parte spectans ad fidelitatem; ut bene notat Herincx hic disp. 3. n. 2. quia & hæc ipsa supponit essentialiter contractum humanum, qui, ut supponitur; hic non intervenit.

Restat unica obiectio; quod illi, quos Deus sic conjungeret sine proprio consensu, immo cum proprio dissensu, possent apponere conditionem, contrariam substantiæ Matrimonii, v. g. impedimentum proles; ergo saltem tunc non oriretur aliqua obligatio ex voluntate Dei.

Respondet Hiquæus supra n. 14. sicuti vinculum in eo casu non dependeret à voluntate ipsorum, ita etiam nec ab inordinata voluntate in impedimentum proles. Neque hoc esset contra substantiam Matrimonii in casu Concluf. quamvis de facto sit contra substantiam Matrimonii, ut fit per contractum & mutuam consensum, ex quo injicitur vinculum tamquam ex causa: nam sicut contractus legitimus nequit stare contra legem contractus, ita etiam non compatitur, cum voluntate positiva impediendi finem intrinsicum contractus, qui per legem determinatur, ideò annullat contractum; sed in eo casu non consisteret Matrimonium in contractu per consensum conjugum, ideò ad vinculum ejus nihil faceret eorum perversitas, aut repugnantia; quia vinculum teneret independentem ab ipsis; sicut tenet de facto in iis, qui supposito contractu procurant venena sterilitatis, aut alio modo impediunt prolem; quod non dissolvit contractum aut vinculum per voluntatem antecedentem tenens, independentem à voluntate consequente perversa contra finem contractus. Sic ergo in casu expresso, nullo modo ab eorum voluntate dependeret vinculum Matrimonii, sed esset ex necessitate imposita per voluntatem divinam, & staret finis præfixus ex eadem voluntate, non obitante repugnantia ipsorum. Hucusque Hiquæus.

Ceterum Aliqui apud Sanchez supra asseverant, Deum immediatè conjunxisse primos parentes absque illorum consensu, idque Christum significasse illis verbis Matth. 19. Quos Deus conjunxit. Et hoc (inquit Sanchez) dicit esse probabile Palud. 4. dist. 26. q. 2. a. 2. Sed quamvis præcedens opinio satis probabilis sit (intelligit nostram Concluf.) hoc tamen additum non est verum. Quia ad suam Dei providentiam spectabat, ne Matrimonium primum, quod aliorum norma & exemplar erat, absque proprio consensu confilteret. Hæc ille.

Sed ego hoc apud Paludanum non invenio loco citato, neque in tota illa distinctione. Et verò illa verba Christi non fuisse dicta de solo Matrimonio Adami, & Evæ; sed de omni Matrimonio fidelium, nimis clarum est, quam ut indigeat aliqua probatione: vel

ergo probant, omnia Matrimonia fidelium solo consensu Dei constare, quod falsissimum est, vel non probant sufficienter, Deum immediatè conjunxisse primos parentes, absque illorum consensu. Satis est ad veritatem istorum verborum, quod Deus instituerit indissolubilitatem Matrimonii; nam continuò adjungitur: *Homo non separat*. Nescio itaque, unde probabilis posset dici hæc sententia, nisi ex eo, quod in Scriptura non legatur expressus consensus Adæ, & Evæ; sed hoc nihil est; quia indubiè multa facta sunt, quæ in Scriptura non exprimuntur. Sufficit nobis, quod Deus possit facere, tamen quod potest facere, nunquam fecerit.

Sed numquid etiam Ecclesia, aut Respublica potest; Concluf. negat, quando asserit, soli Deo hoc competere. Estque communis Omnium sententia, à qua non licet recedere in re tanti momenti.

Probat autem eam Sanchez lib. 2. disp. 27. n. 2. Primò, ex fine Matrimonii; cum enim ad solis educationem, mutuamque amorem ordinetur, frustraretur utique hoc fine, si consensus conjugum in illo ineundo desideraretur. Secundò; quia Matrimonium de se est vinculum perpetuum, nullum autem violentum perpetuum est. Sed hæc duæ rationes idem probant de Deo; adedque minus efficaces sunt, nisi aliquid aliud accedat.

Probat itaque 3. Quia omne vinculum per Rempub. factum, potest per ipsam dissolvi; Matrimonium autem consummatum nullà humanà potestate potest dissolvi. Probat 4. quia aliàs posset Ecclesia separare uxorem à viro, & tradere eam alteri. Quæ duæ rationes non habent locum in Deo; qui potest vinculum Matrimonii etiam consummati dissolvere.

Tandem probat; quia Trident. sess. 24. de Matr. c. 9. excommunicat omnes Principes, ad Matrimonium compellentes; ergo supponit non posse compellere. Sed hæc Conseq. negari posset; quia est de Principes ex se hoc possent, potuit Ecclesia istis illam potestatem eripere, & prohibere sub pœna excommunicationis ejus exercitium, propter multa inconvenientia, quæ nata sunt inde sequi; sicuti reservat sibi potestatem constituendi impedimenta dirimentia Matrimonium, quam alioquin per se loquendo habent Principes, ut suo loco videbimus.

Optimè ergo probatur communis sententia ex eo, quod Ecclesia nusquam agnoverit in se potestatem vel conjungendi aliquos, citra eorum consensum; vel conjunctos Matrimonio consummato, dissolvendi, quod manifestum signum est, Deum sibi eam potestatem reservasse. Alioquin non est dubium, quin aliquando Ecclesia attentasset dissolvere Matrimonium consummatum. Si Ecclesia non habet

246.
Ecclesiam
aut Rem-
pub. non pos-
set supplere
hic consen-
sum, Probatur
ex Sanchez
obio.

247.
Optima pro-
batio.

habet illam potestatem, non est verisimile, Rempublicam cam habere; cum hoc ipso quod Deus elevaverit Matrimonium ad rationem Sacramenti, concesserit Ecclesie sue omnem potestatem circa hunc contractum, quam habet Respublica, & majorem, cum Ecclesia, ut statim dixi, reservaverit sibi potestatem constituendi impedimenta dirimentia.

248. Vbi Christus reservaverit sibi illam potestatem. Matth. 19.

Quæris; ubi Christus reservaverit sibi illam potestatem? Respondeo: Matth. 19. quando dixit: Quod Deus conjunxit, homo non separet: posset autem separare, quod minus est, si posset eos invitos conjungere, quod majus est; nam Ecclesia probabiliter potest dissolvere Matrimonium ratum non consummatum, & sæpius dissolvit; tametsi nunquam legatur invitos Matrimonio copulasse; ergo hoc, majus est illo. Et Omnes concedunt, Deum posse dissolvere Matrimonium consummatum, etiam invitis conjugibus, estò Multi negent, Deum invitos posse conjungere.

249. Objeçtio ex c. 30. de Spons. & c. fin. de Condit. ap. pos.

Sed dicit aliquis: cap. Is qui fidem, de Sponsal. decernitur, sponsalia transire in Matrimonium per copulam, nec admittendam esse probationem dissensus. Et cap. fin. de Condit. appof. deciditur, Matrimonium sub conditione impossibili initum, esse validum; cum tamen in his casibus sæpius deficiat consensus.

Solvitur.

Respondeo: in cap. Is qui, Ecclesia nititur præsumptione consensus dati ante, vel per ipsam copulam, ut alibi diximus; non enim præsumitur voluisse peccare, qui potuit in eodem actu non peccare, & ideo non admittit probationem contra hujusmodi præsumptionem, quia est præsumptio juris, & de jure, ut bene Gloss. in illud cap. verb. Contra præsumptionem:

250. Quæplex sit præsumptio.

Nota, inquit, circa hujusmodi præsumptiones: quod præsumptio alia est juris & canonis sive legis, alia hominis, alia nature, alia facti. Præsumptio juris & canonis, sive legis, sive juris, sive de jure, quod idem est, non recipit probationem in contrarium; ut, lex præsumit, mulierem stipulatam dotem sibi reddi, quæ non est stipulata: & si quis vellet probare contrarium, non auditur. Cod. de Rei uxore actio. l. 1. §. 1. Et ita præsumptum dicitur istud Matrimonium.... Præsumptio hominis est, cum præsumitur contra aliquem hominem propter malam famam: contra hanc præsumptionem bene admittitur probatio in contrarium, supra eod. Cum in tua.... Præsumptio nature est, ut cum exheredo filium meum, præsumitur contra me, quod injustè exheredaverim eum, & hoc propter naturam: & ideo hæredes mei probare tenentur, quod justè exheredaverim eum, C. de Inoffic. test. l. Omnimodo ver. Si tamen. Præsumptio facti alia præcedentis circa futura, ut si semel calumnia-

Præsumptio juris & de jure non recipit probationem in contrarium, secus præsumptio hominis.

tus es contra me, & iterum velis me accusare, præsumitur modo te velle iterum calumniari. ff. de Accu. Si qui, §. Iisdem 3. q. 10. Placuit. & cap. Si accusatorum, & supra de Præsumpt. Mandata. Et cap. Scribam eis. Præsumptio facti subsequens circa præterita est, ut si aliqui fuerint accusati de crimine adulterii, quod debebant præteriti proximitatis, si postea in Matrimonium se conjunxerint, manifestè præsumitur facinus, in quo accusati fuerunt, C. de Adul. Si hi qui adulterii....

Et est alia præsumptio juris tantum, ut si vir diu cohabitavit uxori, præsumitur ab eo cognita. C. 32. q. 1. Dixit dominus. & 27. q. 1. Nec sunt aliqua. & contra hanc præsumptionem probatio admittitur supra de Probat. Proposuit & ff. de Probat. Si chirographum: Sed hic non fuit substantia & forma conjugalis contractus, de qua dicitur supra eod. Tua. Unde non est Matrimonium. Satis dicitur hic fuisse substantia & forma: quia consensus & forma sunt hic, licet per verba de futuro, quæ per carnalem copulam subsequentem fiunt de presenti præsumptivè: sed per carnalem copulam subsequentem præsumitur consensus, per verba præcedentia designatur forma, licet illa ab initio fuerint de futuro. Bern. Huculque Gloss. Quæ multam & utilem doctrinam continet, & ideo volui totam hic describere.

Quamvis ergo in illo jure præsumatur Matrimonium ex copula secuta, adeò, ut contra eam præsumptionem non admittatur regulariter probatio; interim tamen, si reverà non intercesserit consensus internus de presenti, neutiquam suppletur à Republica, sed Matrimonium in foro Dei non subsistit, ut expressis verbis docet Scotus dist. 28. q. un. num. 4. Et per hoc ad illud quod adducitur extra. Concedo enim, quod non mutetur consensus prior in matrimoniale, secundum veritatem non est Matrimonium, licet Ecclesia sic præsumat.

Atque eadem responsio applicari potest & debet cap. fin. de Condit. appof. nam si ille, qui conditionem impossibilem apposuit, reverà non habuit internum consensum de presenti, Matrimonium in foro Dei nullum est, tametsi Ecclesia præsumat illud validum, quia præsumit consensum internum, de quo infra proprio loco.

Objicitur 2. Princeps in omnibus aliis contractibus potest consensum supplere, & contrahebentibus invitis transferre dominium, et eosque in servitutem redigere; ergo potest etiam corporum dominium transferre.

Objicitur 3. quia ideo potest Deus, ut supra diximus, corporum dominium & potestatem transferre, quia majus in ea dominium habet, quàm ipsimet contrahebentes; sed homo plus est Reipub. quàm suiipius, teste Arist. in Polit. ergo potest similiter Respub. Ref.

Respondet Sanchez supra n. 4. ad 2. objectionem: in aliis contractibus non impediri finem illorum, Principe supplente consensum; secus autem in Matrimonio. Ad 3. autem dicit: habere majus dominium Ecclesiam quoad alios contractus, quam quoad Matrimonium, unde potest in aliis contractibus consensum supplere, in Matrimonio autem minimè. Hæc ille.

Sed videtur petere principium; nam hoc est quod quæritur; an Ecclesia aut Respublica habeat majus dominium quoad alios contractus, quam quoad Matrimonium, quoniam videtur habere æquale jus in corpora; sicuti in aliis bonis externis; quandoquidem, ut dicitur in 2. objectione, Respub. possit contrahentes invidios in servitutem redigere. Probatur itaque oportuit majus illud dominium quoad alios contractus, & non suppositum.

Optimè autem probatur ex praxi Ecclesie & Reipub. constat quippe, sæpè in aliis contractibus Rempublicam supplere defectum, immò sine ullo contractu transferre dominia aliarum rerum ab uno in alterum, etiam domino invito; item in pœnam delicti, hominem liberum redigere in servitutem, quantumcumque repugnet; at verò translatio domini corporum, ad usum generationis, ipsis omninò invitis, quorum corporum dominium transfertur, nusquam legitur. Solum potest Respublica, justa de causa compellere aliquem ut nubat, de quo suo loco.

Nec puto Aristotelem, quando dixit in Polit. hominem plus esse Reipublicæ, quam sui ipsius, intellexisse, hominem plus esse Reipub. quoad usum corporis in ordine ad generationem. Id ergo intelligendum arbitror de iis operibus, in quibus non intervenit ratio aliqua specialis, quare non censeantur subiecta dispositioni Reipublicæ.

An fortè existimas, Rempublicam me posse obligare ad statum Religiosum, ad obedientiam, castitatem & paupertatem? Erras toto cælo. Et tamen, Deus hoc potest. Quæ ratio disparitatis? Quia Deus est supremus Dominus omnium creaturarum, & potest eas obligare ad quæcumque difficillima; quia & ipse gratiam largiri potest, quibus facilia fiant; at verò Ecclesia, vel Respub. solum potest obligare ad ea, quæ communiter non superant fragilitatem humanam; neque dare potest gratiam, quibus difficillima quæq; facilia fiant observata. Cum igitur tria vota essentialia Religionis difficillima sint, & communiter superent humanam fragilitatem; adedque omninò invitum ad ea obligare, non careat periculo multorum peccatorum; hinc Ecclesia, aut Respublica, cujus potestas non est in destructionem,

sed in ædificationem tantum data, nequit id facere.

Consimiliter dico; cum onera Matrimonii sint gravissima; præsertim disconvenientibus humoribus conjugum, nec Ecclesia aut Respub. cognoscere possit humores, seu naturales inclinationes hominum, foret res pleno periculo peccati, & pessimi exitus, si omninò inviti, Matrimonio per Ecclesiam vel Rempub. conjungerentur, & planè in destructionem finis Matrimonii; ac proindè talis potestas minimè competit Ecclesie, aut Reipub. nec ullatenus conveniens erat, ut competeret, sed planè expeditabat, ut Deus eam sibi reservaret, qui magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, quod non convenit Ecclesie aut Reipublicæ.

Porro quod jam dictum est de Ecclesia & Republica, etiam consequenter dicendum est de parentibus, ut clarum est, qui non solum non possunt invitos omninò conjungere; sed neque Matrimonia filiorum, aut filiarum, sine eorum aut earum consensu contracta, aut contrahenda, irritare, ut suo loco inferius dicitur. Solum itaque Deus, tanquam supremus Dominus corporum & animorum omnium hominum, potest supplere consensum matrimoniale, id est, inducere vinculum seu obligationem matrimoniale.

Si autem à me quæritur, in quo illa obligatio consistat. Respondeo citius:

CONCLUSIO VIII.

Vinculum Matrimonii est obligatio justitiæ ad bonum Sacramenti, prolis & fidei.

Hoc vinculum propriè & simpliciter vocatur Matrimonium, & definitur à Scoto, ut vidimus in principio hujus Sect. *Vinculum indissolubile inter matrem & feminam, ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta, ad procreandam in bonum prolem & debite educandam.* In qua definitione primò explicatur obligatio ad bonum Sacramenti per ly *Indissolubile*; nam bonum Sacramenti nihil aliud est, quam indissolubilitas Matrimonii.

Explicatur 2. obligatio ad bonum fidei; quando dicitur: *Ex mutua translatione potestatis &c.* Nam bonum fidei nihil aliud est, quam redditio debiti conjugalis, & abstinentia à persona aliena. Undè duplex est, aliud positivum, aliud negativum. Sequitur autem ista obligatio ex mutua translatione potestatis; ad hoc quippe transfertur potestas corporum, ut vir possit uti corpore mulieris ad actum conjugalem, & mulier

G g

cor-

257.
Parentes
non possunt
invitos con-
jungere.

258.
Definitio
vinculi Ma-
rimonialis
ex Scoto, in
qua explica-
tur bonum
Sacramenti.

bonum fidei

corpore viri, adeoque ad talem usum est obligatio, sive, talis usus debetur conjugibus, & per consequens injustum est, alienis concedere istum usum, quia conceditur res aliena.

Tertio explicatur obligatio ad bonum prolis, ibi: *Ad procreandam prolem, & debitè educandam*: siquidem bonum prolis nihil aliud est, quam ejus procreatio, & debita educatio. Qui ergo habet jus ad procreationem prolis, & ejus debitam educationem, etiam habet jus, ne procreatio illa, aut educatio debita, impediatur, v. g. per sumptionem veneni sterilitatis, vel procreationem abortus, vel enecationem prolis natæ, ut communiter DD. agentes de conditionibus appositis, quæ contractum Matrimonii reddunt invalidum, ubi & nos latius de hac re agemus.

Et bonum
prolis.

259.
Testimo-
niam ali-
quod D.
Aug.

Unicum hic subdo testimonium D. August. ex lib. 2. de Moribus Manichæorum cap. 18. *Nonne vos estis, qui nos solebatis monere, ut, quantum fieri posset, observaremus tempus, quo ad conceptum mulier post genitalium viscerum purgationem apta esset, eoque tempore à concubitu temperaremus, ne carni anima implicaretur? Ex quo illud sequitur, ut non liberorum procreandorum causâ, sed satiande libidinis habere conjugem censeatis. Nuptiæ autem, ut ipse nuptiales tabula clamant, liberorum procreandorum causâ, marem feminamque conjungunt. Quisquis ergo procreare liberos, quam concumbere, gravius dicit esse peccatum, prohibet utique nuptias; & non jam uxorem, sed meretricem feminam facit, quæ donatis sibi certis rebus, viro ad explendam ejus libidinem jungitur. Si enim uxor est, Matrimonium est. Non autem Matrimonium est, ubi datur opera, ne sit mater. Non igitur uxor. Hæc ille. Infero ergo, ergo secundum D. August. in Matrimonio, id est, vinculo Matrimonii, essentialiter, aut quasi, includitur obligatio non impediendi generationem.*

Tria bona
Matrimonii
Florent.

Tria sunt bona Matrimonii (inquit Concil. Florent. in Decret. Eug.) Primum, proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum, fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium, indivisibilitas Matrimonii, propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi & Ecclesie.

260.
An sint ne-
cessaria, ut
liceat copu-
la.
Scotus.

Sed nunquid, dicit aliquis, obligatio ad actum carnalem minimè licet, nisi habeat illa tria bona excusantia? Audiamus Doct. Subtil. 4. dist. 31. q. unic. num. 2. & seqq. Hic dicitur, quod contrahens Matrimonium obligat se ad copulam carnalem, saltem sub conditione, si petatur, & certitudo de non petendo in paucissimis habetur. In isto autem actu privatur, homo magno bono, scilicet usu rationis: secundum Philosophum 7, Ethic. Talis, inquit, actus furatur intellectum fax-

issimè sapientis. Unde August. 14. de Civit. cap. 16. Voluptas, quæ major in corporis voluptatibus nulla est, in ipso momento temporis, quo ad ejus pervenitur extremum, penè omnis acies, & quasi vigilia cogitationis obruitur: Nullus autem, secundum rectam rationem, debet se obligare ad aliquid, in quo tantum malum patitur, nisi sit ibi aliquid bonum recompensans; ergo nullus debet contrahere Matrimonium, nisi sint aliqua bona recompensantia istam jacturam usus rationis: & hæc dicuntur à Sanctis excusantia illum actum carnalem: ista autem sunt bonum fidei, prolis, & Sacramentum.

Sed hæc doctrina non placet Scoto, & idèd contra eam sic arguit: Quia in statu Innocentie fuisse Matrimonium habens ista bona, nec tamen fuisset tunc posita, ut excusantia illum actum. Præterea, in Matrimonio Joseph & Mariæ non oportuit ponere excusantia ista, nec universaliter in spirituali Matrimonio valet, cum pari voto castitatis conjugum.

Præterea, multo magis privatur homo usu rationis per somnum, quam per actum illum, & hoc tam intensivè: undè secundum Philosophum Ethic. 17. Felix non differt à misero, nisi secundum medietatem vitæ, scilicet in vigilia, quam etiam extensivè, quia somnus diu privat; iste autem actus quasi momentaneè; ergo nullus, secundum rectam rationem, debet se exponere somno, nisi essent bona excusantia, & majora istis, quod tamen non conceditur. Hæc ille.

Et illicò attexit responsonem ad ultimum argumentum, his verbis: Dicitur, quod hæc bona excusantia, scilicet, necessitas naturæ, & confortatio organorum; quia sine somno esset nimia fatigatio virium sensivarum, & per consequens impedimentum in intellectu, quia intellectus impeditur phantasiam impediri: aliter dicitur; quod non patitur quis proprie damnatum in somno, sicut in isto actu: quia post somnum vigoratur intellectus: post actum istum hebetatur: ita quod per istum actum, non tantum privatur quis illo bono, sed redatur minus aptus vel habilis ad illud, & alia post actum illum: oppositum autem est de somno. Hanc solutionem seu responsonem videtur Scotus acceptare.

Tamen urgeri potest (inquit Hiquæstus suo Comment. ad illum locum Scoti n. 6.) quia aliud est, aliquem se private usu rationis, vel hebetare, aliud non conservare in quocumque casu; v. g. Martyres exponerent se tormentis, quæ aliquando offuscant rationem ex pœnæ vehementia; tamen in eo casu non tenebantur respicere ad damnatum seu vitam, seu usum rationis, urgente præcepto in contrarium: ergo exercere actum, ad quem sequitur aliqua mentis hebetudo, si aliquis

actus est necessarius necessitate præcepti, non est contra rectam rationem, aut ab intrinseco malum; quia illa hebetudo mentis, neque per se intenditur, sed actus, cui est annexa, & qui in substantia est bonus & laudabilis; sicut ergo somnum quis appetere potest, ut remedium suæ infirmitatis & salutis; ita etiam potest quis velle Matrimonium, etiam ad vitandum majus damnum, nempe periculum peccati gravis & mortalis. Ex duobus autem malis, minus, secundum rectam rationem, est præferendum, quamvis non sequatur aliquod aliud commodum præter fugam majoris mali. Melius autem est nubere, quam uri, secundum Paulum: sicut ergo potest velle actum, ita etiam se obligare ad ipsum, metu majoris mali, quod imminet ex propria fragilitate. Italic Auctor.

Quando itaque PP. respondent hæreticis, impugnantibus Matrimonium, tamquam illicitum, & tria illa bona docent reperiri in Matrimonio, quibus excusatur; intelligunt, illa esse specificantia Matrimonium, & excusantia à peccato concupiscentiam concomitantem, cum Matrimonium in ejus remedium ordinatur in natura lapsa; non autem excusantia detrimentum obfuscationis mentis, aut servitutis perpetuæ, aut sollicitudinis placendi uxori, aut educandi prolem; nam libido, quæ toleratur, & non affectatur, sed ad officium naturæ in conjugatis temperatur, non ad eum obfuscatur, secundum PP. servitutis autem, & sollicitudinem educandæ proliis, per se conjuncta sunt Matrimonio in quocumque statu, etiam innocentia, si perseveraret; quia essent duo in carne una & insolubiliter, & vir relinqueret patrem & matrem &c. & adhereret uxori, & non alteri, & proles etiam jure naturæ esset educanda, & hæc duo insunt Matrimonio, ut est opus Dei, & ut ab eo præceptum fuerat in Communitate. Ita Hiquæus supra n. 5.

Sola ergo concupiscentia est, quæ indiget excusatione, ut potest, quæ non fuisset in statu Innocentiæ, sed ex peccato orta fuit, & ad peccatum inclinatur. Fulgentius Epist. 1. de Conjugali debito, & voto continentia, à conjugibus emisso, cap. 3. *Justitia utendi conjugii hæc est, ut non explenda libidinis, sed subsistenda proliis obtentu, sibi conjuges congruo tempore miscantur: in illis namque bonis, quæ fecit Deus, invenitur casta copulatio uxoris & viri; in quibus Dei operibus libido non potest inveniri: nec aliquando justitia congruit, quæ non bominibus ex dono conditionis, sed peccatoribus ex vitio prima prævaricationis accessit: sed quia sine illa in corpore mortis hujus proles humana non feritur, non eam affectant conjugia, casta sed tolerant, eique imponit nuptialis bonitas modum &c. sine qua non potest in carne peccati naturæ alius expleri secunditatis officium. Ubi*

dicit conjugium esse opus Dei, & in quantum est opus Dei, non inveniri in eo libidinem, quæ ex prævaricatione accessit, & excusatur per honestatem nuptialem in statu naturæ corruptæ.

Simili modo loquitur D. August. de Gen. & S. Aug. ad litt. lib. 9. cap. 7. ibi: *Denique utriusque sexus infirmitas, propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis possit esse officium, sit ægrotis remedium. Neque enim, quia incontinentia malum est, ideo concubium, vel quo incontinentes copulantur, non est bonum: immò verò non propter illud malum, culpabile est hoc bonum, sed propter hoc bonum, veniale est illud malum, &c.*

Itaque bona illa, ad quæ vinculum Matrimonii obligat, specificant seu constituunt Matrimonium in specie sua, illudque perficiunt intrinsecè, vel extrinsecè, ut docet Scotus supra num. 4. sequentis tenoris: *Ad questionem ergo dico, quod secundum Philosophum 5. Metaphys. cap. De perfectione, (textu 2.1.) bonum, & perfectum, idem est: duplex autem perfectio rei, scilicet intrinseca, ut forma: & extrinseca, ut finis. Alicujus etiam potest esse duplex finis, scilicet remotus, & propinquus: & remotior est regulariter principalior, quia ad illum ordinatur propinquior. Accipiendo ergo Matrimonium pro isto vinculo, derelicto ex primo contractu, forma ejus est indissolubilitas, sicut tactum est in 1. q. Concl. 1. Et ista indissolubilitas dicitur Sacramentum, pro eo, quod significat indissolubilitatem conjunctionis Christi & Ecclesie: ergo Sacramentum ut hic accipitur, est bonum intrinsecum Matrimonii; quia ejus prima perfectio est formalis: hæc autem ordinatur ad actum carnalem mutuo reddendum, si petatur; quæ redditio justa est ex ista obligatione mutua præcedente: ergo hujus Matrimonii fides, id est, fidelitas sive justitia ad actum, ad quem conjuges mutuo obligantur, est ejus bonum extrinsecum, sicut finis propinquus. Ultimo iste actus ordinatur ad præcreandum prolem, debite vel religiose educandam; ergo proles religiose educanda, si sequatur, est bonum extrinsecum Matrimonii, tanquam finis principalis.*

Sic ergo patet, quomodo Sacramentum Matrimonii, ut hic accipitur, est bonum Matrimonii primum & intrinsecum, & forma. Fides, id est, fidelitas in justè reddendo actum debitum, est bonum ejus, ut finis proximus, sed minus principalis: bonum proliis est ejus bonum extrinsecum, ut finis ultimus, sed principalis.

Ad quæ verba Hiquæus supra n. 8. Perfectum, inquit, est illud, quod est ex integra causa, & cui nihil deest ad complementum sui, sive sumatur physicè, sive moraliter bonum & perfectum. Hic sumitur moraliter: bonum autem morale completur intrinsecè ex propria forma, quæ dicitur bonitas ex genere,

266. Bonum, & perfectum, idem est, ex Arist.

Duplex perfectio intrinseca & extrinseca.

Sacramentum est bonum intrinsecum Matrimonii. Fides extrinsecum, ex Scoto.

267. Quid sit perfectum, ex Hiquæo.

nere, & extrinsecè per finem tamquam per formam extrinsecam perficientem. Hæc duplex perfectio trahit secum reliquas circumstantias: nam bonum est illud, quod convenit personæ operanti, aut subjecto, cui est bonum: quod si ergo nihil ei deficiat perfectionis, quantum ad formam intrinsecam, completur etiam per reliquas circumstantias, quæ ex parte rei exiguntur, vel ex natura actûs, aut finis, & modo attingendi utrumque. Hæc ille.

268.
Quare finis remotior regulariter sit principalior.

Rogas, quare finis remotior regulariter sit principalior? Respondet idem Auctor n. 9. quia aliàs proximus non ordinaretur ex natura sua ad finem remotiorem, ut perficiendus per ipsum. Dicitur autem, Regulariter; quia aliquando finis proximus est perfectior, & communicans perfectionem fini remoto, ut quando imperatur actus Charitatis ad finem poenitentiae, aut alterius virtutis, actus imperatus attingit bonitatem Charitatis, ut finem proximum, & ordinat ulterius illam ad finem, seu bonitatem alterius virtutis, ut per Charitatem perficiatur, quæ bonitas est finis remotus actûs imperantis, & ordinantis Charitatem.

Sed de honestate & bonitate Matrimonii adhuc alibi dabitur occasio tractandi. Quod hic præcipue quaeritur est; an possit Matrimonium contrahi sine ullo ordine ad copulam, & absque consensu explicito vel implicito in illam.

269.

Bonum Sacramenti seu indissolubilitas est formaliter in Matrimonio, bonum fidei, & prolis, tantum virtualiter, ex Scoto.

Scoto supra supra n. 5. sic ait: Sacramentum ut est bonum Matrimonii (sicut dictum est) non accipitur pro Sacramento novæ Legis, quia illud est sensibile: ista autem indissolubilitas est quid spirituale in mentibus contrahentium. Sacramentum etiam Matrimonii statim transit, quia consistit in fieri: ista autem indissolubilitas manet. Et est in esse quieto, non in fieri. Sacramentum etiam est dispositio ad gratiam in dignè suscipientibus: non autem ista indissolubilitas. Hoc enim est intrinsecum bonum omnis Matrimonii novæ Legis, ita quod impossibile est esse Matrimonium formaliter sine illo, quod est forma ejus. Sed alia duo bona non sunt intrinseca Matrimonio, nec necessaria ibi formaliter: sed sunt ibi necessaria in obligatione, & virtualiter. Bonum quidem fidei servandæ in actu, reddendo conjugii, quod suum est, & non dando alteri alienum: est enim necessario in obligatione, & quantum ad negativam, saltem est ibi obligatio semper, & ad semper; quantum autem ad affirmativam, dicitur in seq. dist. & ideo, non servans fidem, peccat mortaliter. Tertium bonum, scilicet prolis, est ibi in obligatione sub conditione, si eveniat, ut suscipiatur gratanter. & religiose educetur: ideo est ibi sub obligatione, pro semper, & ad semper, non impedire illud bonum studiosè. Ergo secundum Scotum bonum prolis & bonum fidei, quamvis non sint intrinseca Ma-

trimonio; nec necessaria ibi formaliter, ad eamque non sit necessarius expressus consensus in copulam; tamen sunt ibi necessaria in obligatione, & virtualiter; ac proinde videtur necessarius consensus, saltem virtualis, & implicitus, in copulam. Dico nihilominus.

CONCLUSIO IX.

Validè & licitè separatur ab initio Matrimonii, jus proximum usûs corporis, ab ejus dominio, per legem, pactum, vel votum ex mutuo consensu.

Ulianus sectator Pelagii, contra quem scripsit magnum istud lumen Ecclesie S. August. assererat, nullo modo posse esse conjugium, absque concubitu. Ita refert S. Doctor lib. 5. contra Julianum c. 9. (alias 12.) hisce verbis. *Fam vero de Joseph, cuius Mariam, teste Evangelio, conjugem dixi, multa dicitur disputas contra sententiam meam, & conaris ostendere, quia concubitus defuit, nullo modo fuisse conjugium.* Unde contra ipsum infert, cessare inter aliquos Matrimonium, statim atque copulari non possunt, dicens: *Ac per hoc, secundum te, cum destiterint concubere conjuges, jam non erunt conjuges, & divorcium erit illa cessatio. Quod ne contingat, agant sicut possunt decrepiti, quod juvenes agebant, & ab hoc opere, quo etiam continens nimium delectaris, nec essetis ætate corporibus parant, Non se cogitent, quantum ad libidinis atines incentiva, senuisse, aut possint conjuges permanere.*

Eandem lententiam attribuit Waldensis Tom. 2. de Sacramentis c. 130. Wicleff, sic quippe incipit illud cap. Conjugium five Matrimonium describit Wicleff, dicens lib. ter damnati Trialogi cap. 2. *Quod conjugium sit legitima copulatio, quæ, secundum Dei legem, licet eis sine crimine filios procreare. Ordinavit enim Deus, quod Adam, & Eva, & per consequens, quod cuncti duo conjuges in procreatione carnali taliter copulentur.* Hæc Wicleff.

Waldensis autem subjungit refutationem illius doctrinæ, dicens: Nescio tamen, si immemor fuit vir iste sacri illius conjugii Mariæ, & Joseph, quod urique non sine ordinatione divina, & primævo instinctu Spiritûs sancti, sponsaliter contraxerunt: & postea, eodem Deo monente per Angelum, detinebant. Cùm tamen non ordinavit Deus per legem suam, quod in procreatione carnali taliter copulentur; immo, ne taliter copularentur, instituit. Nec ipsi conjuges talem copulam proponebant: dicente Mariâ ad Angelum, cùm jam desponsata fuisset, *Quomodo*

fiet istud, quoniam virum non cognosco? Id est, carnaliter non propono. Unde in eodem loco in Comment. Beda: *Proposuit suae mentis reverenter exposuit: vitam videlicet virginalem se ducere decrevisse. Quae quia prima feminarum iustitiae se virtuti mancipare curavit, jure singulari praeter ceteris feminis beatitudine meruit excellere.*

Aut ergo inter istos non erat verum conjugium, & mentitus est Angelus, de caelo dicens ad Joseph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; aut quandoque, in procreando foetum, erant carnaliter copulandi ad sensum Helvidii: aut, quod utique verum est, definitio in ejus sensu haeresim sapit de quidditate conjugii; non propter hoc solum, sed quia evacuae conatur Apost. 1. ad Cor. 7. Quid enim si conjuges hoc haberent in voto, quod ait Apost. *Tempus breve est. Reliquum est, ut qui habent uxores, tamquam non habent sint, & perpetuo tempore a procreandis liberis promitterent abstinere? Nunquid contra legem fidei facerent, implendo Apostolum, & conjuges esse desinerent: quia jam non licet eis sine crimine filios procreare? E contra Constante Christo, non licere dimittere uxorem, nisi propter fornicationem? Haec tamen Waldensis.**

Qui utique latius ibi reprobatur illam doctrinam, quam Pontius lib. 1. c. 18. n. 1. putat inter alios errores Wicleff damnatam in Conc. Constantiensi sess. 8. Quamvis enim inter 45. articulos, ibi recitatos, error iste non continetur; non tamen idem existimandum est, non damnatum esse, (ut falsò judicavit Michael de Medina, Gratianum excusans) quia post eorum 45. articulorum damnationem, haec verba subiunguntur: *Comperitum est etiam, libros ejus plures alios articulos continere similibus qualitatibus, doctrinamque in Dei Ecclesia vesaniam, & fides, ac moribus inimicam inducere.... Propterea, in nomine Domini nostri Jesu Christi, haec sancta Synodus sententias praedictorum Archiepiscoporum, & Conc. Romani ratificans, libros ejusdem Dialogum, & Trialogum, hoc perpetuo decreto reprobatur & condemnat. Ea autem propositio de Matrimonio, in Trialogo continetur c. 2. quem librum Waldensis loco citato, & alibi, ter damnatum appellat, scilicet a duobus Archiepiscopis, & in Conc. Romano. Quod si Waldensis non meminit damnationis Conc. Constantiensis, non mirum, inquit Pontius, cum ille librum suum scripserit ante Conc. Constant. licet post illud in lucem editus fuerit.*

Adversatur etiam huic doctrinae Concil. Florent. in Decret. Eug. dum ait: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est (non dicitur Copula carnalis, sed) mutui consensus per verba de praesenti expressus.*

Et verò in statu Innocentiae nonne fuit ve-

rum Matrimonium inter primos nostros parentes? Ita planè docet Bonif. 8. c. un. de Voto in 6. ibi: *Matrimonii verò vinculum, ab ipso Ecclesiae Capite, rerum omnium Conditore, ipsum in paradiso, & in statu Innocentiae instituentem, & indissolubilitatem accepit.* Et Conc. Colon. sub Paulo 3. p. 7. cap. 41. in principio: *Quum Matrimonium, ante lapsum Aedae propter procreandos liberos institutum, ac benedictione Dei firmatum sit, quã dixit ille: Crescite & multiplicamini &c.*

Item Conc. Moguntinum sub eod. cap. 36. in principio: *De hoc Sacramento doceant Pastores nostri, Matrimonium ab initio ad officium institutum &c.* Colligiturque ex Matth. 19. vers. 4. & 5. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem &c.* Et tamen ab initio ante peccatum, constat ex Gen. nullam fuisse copulam.

Ergo verum & legitimum Matrimonium non contrahitur in ipsa copulatione; sed consensus facit Matrimonium, juxta illud D. Chrysof. (id est, Auctoris oper. imperf. homil. 32. in Matth.) & refertur 27. q. 2. c. 1. *Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas.* Hinc D. Amb. in lib. de Instit. virginis, cap. 6. & refertur ead. c. 5. *Cum initiatur conjugium, tunc conjugii nomen ascribitur. Non enim defloratio virginis facit conjugium, sed pactio conjugalis.* Item Isidorus Etymol. lib. 9. c. 7. & refertur ead. cap. 6. *Conjuges verius appellantur à prima desponsationis fide, quamvis adhuc ignoretur inter eos conjugalis concubitus.*

Consimiliter loquitur D. August. de Nuptiis & concupif. lib. 1. c. 11. & ponitur ead. c. 9. *Conjux vocatur (B. V. Maria) à prima fide desponsationis, quam concubitus non cognoverat Joseph, nec fuerat cogniturus: nec perierat (alias, pejerarat) nec mendax manserat conjugis appellatio: ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commissio.* Et infra: *Propter quod fidele conjugium, parentes Christi vocari ambo meruerunt, non solum illa mater, verum etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus, utrumque mente, non carne.*

Item in eodem lib. & cap. & ponitur ead. c. 10. *Omne itaque nuptiarum bonum, impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium, solus ibi nuptialis concubitus non fuit: quia in carne peccatis fieri non poterat sine illa pudenda carnis concupiscentia, quae accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato.*

Nec dixeris cum Juliano apud D. August. lib. 5. contra Jul. c. 12. aliàs 9. Quasi maritus Joseph in opinione omnium erat: secundum hanc opinionem, non secundum veri-

In statu Innocentiae fuit verum Matrimonium ex c. un. de Voto in 6.

Concil. Colon.

Concil. Mogunt. Matth. 19.

274. Consensus facit Matrimonium non copulatione. S. Chryf. S. Ambr. S. Isidorus.

S. Aug.

275. Objectione ex Juliano.

Resp. D. Aug.

tatem locutam fuisse Scripturam, ut virginem Mariam ejus conjugem diceret. Respondet quippe S. August. Hoc putemus Evangelistam facere potuisse, cum vel sua, vel cujuslibet alterius hominis verba narraret, ut secundum opinionem hominum loqueretur. Nunquid & Angelus, loquens unus ad unum, contra conscientiam & suam, & ipse, cui loquebatur, secundum opinionem potius, quam secundum veritatem fuerat locuturus, qui ei dixit: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam? Deinde, quid opus erat, ut usque ad Joseph generationis producerentur, si non ea veritate factum est, quod in conjugio sexus virilis excellit? Plura de hac re vide apud hunc S. Doct. locis allegatis.

276.

Objectio ex diversis juribus.

Sed dicit aliquis: 27. q. 2. c. 16. refertur ex August. Non est dubium, illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua commissio sexus non docetur fuisse. Et cap. 17. ead. ex Leone Papa: Cum societas nuptiarum ita a principio sit instituta, ut prater commissionem sexuum, non habeant in se nuptiae conjunctionis Christi & Ecclesiae Sacramentum; non dubium est, illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua docetur non fuisse nuptiale ministerium.

propter quod Gratianus videtur dicere, non esse verum Matrimonium ante consummationem. Pontius.

Atque propter has auctoritates, & alias similes, quas videre poteris ead. causa & q. docuit Gratianus ibi, cap. Decreta. 28. & cap. Institutum. 39. & cap. Sic quippe. 45. non esse verum Matrimonium ante consummationem, sed tunc verè Matrimonium inter virum & feminam celebrari & contrahi, cum invicem ex affectu commiscerentur. Ita Pontius supra c. 16. n. 3. Et subjungit: Nec verò Gratianum sequitur aliquis Catholicus, quare imprudenter Calvinus pro hac sententia citat Magist. Sentent. cum Magister Gratiani respondeat argumentis. Hæc ille.

277.

Gratianus intellexit conjugium perfectum.

Sed contra: non videtur Gratianus negare verum Matrimonium, seu conjugium, ante consummationem, sed tantum perfectum conjugium, quæ sunt valde distincta; nam duplex est perfectio alicujus rei, alia essentialis seu intrinseca, alia verò accidentalis seu extrinseca; porro res vera est, quando habet essentialem & intrinsecam perfectionem, estò deficiat aliqua perfectio extrinseca: sic dicitur vera venditio, etsi nondum res tradita sit, cum tamen per illam traditionem venditio extrinsecè perficiatur & aliquem operetur effectum, v. g. quod res vendita & tradita, non possit tertio validè vendi, quem effectum minimè causat venditio ante traditionem.

Ostenditur.

Quod autem Gratianus intellexerit conjugium perfectum, patet manifestè ex his verbis cap. Institutum. Juxta banc, inquit ille, distinctionem intelligenda est illa auctoritas August. Non dubium est, illam mulierem non

pertinere ad Matrimonium, cum qua docetur non fuisse commissio sexus. Ad Matrimonium, perfectum subintelligendum est, tale videlicet, quod habeat in se Christi, & Ecclesiae Sacramentum. Ita & illud Leonis Pape intelligendum est. Sed objicitur illud Aug. Inter Mariam, & Joseph, fuit perfectum conjugium. Sed perfectum intelligitur non ex officio, sed ex eo, quæ comitantur officium conjugii, ex fide videlicet, prole, & Sacramento. Quæ omnia inter Christi parentes fuisse, auctoritate August. probantur. Hæc ille.

Quæ commodè possunt intelligi, & debent intelligi, ut vera sint, de perfectione aliqua accidentali; sedis de essentiali, seu necessaria ad veram essentiam Matrimonii, sive ut est contractus, sive ut est Sacramentum novæ legis. Est quæ hæc res de facto apud omnes Catholicos indubitata.

Dico: De facto, quia August. supra lib. 5. contra Julianum, relinquat adhuc liberum illi eligere, quod vult, ibi: Verum de isto conjugio (Mariæ, & Joseph) quod vis eximium Fortè quia nondum hæc controversia facta erat examinata. Deinde, quia ad id August. perinde erat, quid diceretur; ut patet ex his, quæ statim tubnecit: Nos tamen non, ut calumniam, dicimus, sic fuisse primum conjuges institutos, ut sine commissione utriusque sexus conjuges essent: sed utrum in Paradiso ante peccatum caro concupiverit adversus spiritum, vel utrum nunc in conjugibus hoc non fiat, quando ejusdem concupiscentiæ, etiam per pudicitiam conjugalem cohibetur excessus: & utrum malum non sit, cui repugnanti consentiendum non est, ut in suum pergat excessum: & utrum non ex ipso & cum ipsa concupiscentia nascatur, cui malum inesse nullum negas: & utrum ab ingeneratione possit hominum quisquam sine regeneratione liberari, hoc inter nos disseritur. In his questionibus Catholica veritate antiquius traditâ, contra impia novitas suffocatur.

Quantum ad jura, quæ Gratianus prole adducit, notant Censores Decreti, cap. 2. non dubium, minimè reperiri in August. unde etiam aliquis locus allegatur a Gratiano. Similiter advertunt, corruptum esse cap. Cum societas, nam in Codicibus Epistoliarum Leonis impressis, & manuscriptis, in Epist. 90. alias quæ ad Rusticum cap. 4. Itemque apud Barcardum & Ivonem sic habet hic locus: Cum societas, inquit, nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut prater sexuum conjunctionem habeat in se Christi, & Ecclesiae Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuisse ministerium.

Ubi per Nuptiale ministerium, non intelligit carnis commercium, ut perperam Glossa in illud cap. verb. Ministerium, sed intelligit contractum Matrimoniale, ut patet ex

contextu; nam immediatè præcedunt hæc verba: *Itaque aliud est uxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera* Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, ubi dicitur *Abraham: Ejice ancillam, & filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Unde cum societas &c. ut supra. Sequitur autem: *Ignitur cuiuslibet loci Clericus, si filiam, viro habenti concubinam, in Matrimonium dederit, non in ea accipiendum est, quasi conjugato eam dederit, nisi forte illa mulier & ingenua facta, & dotata legitime, & publicis nuptiis honestata videatur.* Paterno arbitrio viris junctæ, caret culpa, si mulieres, quæ à viris habebantur, in Matrimonio non fuerunt; quia aliud est nupta, aliud concubina. Quis non videt, per Nuptiale mysterium, hic non debere intelligi copulam carnalem, quam non est dubium fuisse in concubina; sed contractum Matrimonii, sive consensum de præsentibus, expressum aliquo signo externo?

Quantum ad alia jura, in quibus dicitur, commixtione corporum Matrimonia perfici, ut cap. *In omni*, 36. & cap. *Quapropter*, 37. ead. commodè intelligi possunt de perfectione accidentali, propter majorem repræsentationem unionis Christi cum Ecclesia. Porro cap. *Si quis*, 38. quod refertur ex Ambrosio, Epist. 66. ad Paternum manifestè depravatam est. Ita legit Grat. *Si quis de sponsa sibi, & tradita utatur, ritè conjugium vocatur.* At verò apud Ambros. non Epist. 66. sed 48. in libro, quo ego utor, sic legitur: *Si quis de sponsa sibi, & tradita utatur, conjugio vacat, qui alienæ expugnat pudorem, adulterium facit &c.* Ex quo, & aliis præcedentibus, & subsequenter, clarè patet, aliam fuisse mentem Ambrosii, quam Gratianus putaverit.

Interim non possum mihi persuadere, illam fuisse mentem Gratiani, quam Pontius ipsi adscribit, videlicet tunc solum verè contrahi Matrimonium, cum invicem ex affectu commiscerentur; quasi tunc solum, & non antea fuisset verum Sacramentum, & verus contractus indissolubilis solo consensu contrahentium, tribuens jus saltem radicale, ad copulam carnalem; alioquin ante copulam solum fuissent sponsalia de futuro, quod non puto unquam incidisse Gratiano, cum nimis patens, & nimis magna sit disparitas inter sponsalia de futuro, & de præsentibus; sed videtur solum voluisse, ut supra notavi, ante copulam non fore Matrimonium consummatum, adeoque solvi posse per ingressum Religionis, & forte per dispensationem Pontificis, secus postquam copulâ consummatum fuit, per quam copulam repræsentat unionem hypostatitiam, quæ planè indissolubilis est, & illa est perfectio, quam Gratianus negat Matrimonio ante copulam, & quæ per

copulam ipsi advenit constituto in suo esse specifico per significationem gratiæ, & significationem unionis Christi cum Ecclesia per Fidem, seu per Sacramentum Fidei, id est, Baptismum.

Hinc supra ait Gratianus: *Cuncta ergo, quæ de non separando conjugio inducuntur, de perfecto intelliguntur, quod sponsali conventionione (de præsentibus scilicet) est initiatum (id est, ratum) & officio corporalis commissionis est consummatum.* Unde quæ ibidem subdit, eodem modo intelligi possunt & debent: *Potest, inquit, & aliter distingui Sponsæ appellatur conjuges consuetudine Scripturæ, spe futurorum, non effectum præsentium.* Unde Ambros. cum dixisset: *Cum initiatur conjugium, non addidit, tunc res vel effectus, sed, tunc nomen conjugii afficitur, ostendens tales conjugii nomē habere, non rem vel effectum.* Item August. cum de parentibus Domini loqueretur ait: *Conjuges fuerunt mente, non carne, sicut & parentes. Ex quo datur intelligi, quod sicut Joseph pater Domini dictus est, non effectum generationis, sed officio & curâ providendi, sic & conjux matris ejus appellatur, non conjugii effectum (id est, copulâ carnali) sed subministracione necessariorum, & individua mentis affectu.* Hæc ille. Ubi, ut vides, copulam vocat effectum conjugii; ergo secundum ipsum ante copulam est verum conjugium, quod jus tribuit ad copulam, quale jus non competit ex solis sponsalibus de futuro.

Sequitur apud Gratianum: *Hinc Angelus ait: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, conjugem nominavit, quia futura erat uxor.* Ubi insinuat, desponsationem virginis non fuisse Matrimonium de præsentibus, sed tantum sponsalia de futuro; aut certè, virginem futuram uxorem, non per copulam carnalem cum Josepho, sed per generationem Christi, consistente Matrimonio de præsentibus inter ipsam, & Josephum.

Itaque, salvo meliori, videtur hæc quaestio inter Gratianum, & alios Doctores Catholicos, potius esse de nomine, quàm de re; an videlicet ante consummationem Matrimonii, debeat quis appellari conjux, an verò ad illam appellationem requiratur consummatio, aut certè, ordo aliquis ad consummationem futuram. Neque enim negare potuit Grat. quin sponsæ sæpius appellentur conjuges; sed (inquit ille cap. *Sic quippe*) *spe futurorum non re præsentium.* Quomodo ergo (interrogat ibidem) *conjuges à prima fide desponsationis appellantur, si ista quæ assertur sponsa, conjux esse negatur? Sed à prima fide desponsationis conjux dicitur appellari, non quod in ipsa desponsatione fiat conjux, sed quia ex fide, quam ex desponsatione sibi invicem debent, postea efficiuntur conjuges: sicut per fidem dicuntur remitti peccata, non quod ante Baptismum per fidem remittantur; sed quia Fides est*

282.
Vocat copulam effectum conjugii.

283.
Hæc quaestio inter Grat. & alios DD. videtur esse de nomine Conjugis.

causa, quæ in Baptismo à peccatis emundatur. Illud autem Joan. Chrysoſt. Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Item illud Ambr. Non defloratio virginittatis, sed pactio conjugalis Matrimonium facit, ita intelligendum est: coitus sine voluntate contrahendi Matrimonium, & defloratio virginittatis sine pacto conjugali, non facit Matrimonium; sed præcedens voluntas contrahendi Matrimonium, & conjugalis pactio facit, ut mulier in defloratione suæ virginittatis, vel in coitu dicatur nubere viro, vel nuptias celebrare. Hæc ille.

284.
Cum Grat.
loquitur S.
Hier.

Et verò licet etiam loquitur S. Hieronymus super illud Matth. 1. *Genuit Joseph virum Mariæ. Cum virum*, inquit, *audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum*, (id est, copulæ carnalis) sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, & sponsæ vocentur uxores. Et infra: *Non ab alio inventa est, nisi à Joseph: qui penè licentiâ Maritali, futuræ uxoris omnia noverat.* Cur ergo sententia Gratiani, putà, in coitu celebrari nuptias, erroris notà digna sit? Ceterum (inquit Pontius supra n. 5.) quod Julianus, Wicleff, & Gratianus docuerunt, Matrimonium in ipso coitu contrahi, & non antea, erroris notà dignum est.

Pontius.

Grat. non
docuit in ip-
so coitu con-
trahi matr.

Sed nunquid hoc docuit Gratianus? Sanè supponit Gratianus, quod celebrationem nuptiarum, sive copulam carnalem, præcedat pactio conjugalis, ut patet ex ejus verbis mox allegatis; pactio autem conjugalis quid aliud est, quàm Matrimonium seu contractus Matrimonii, per quem datur jus ad copulam, sive ad celebrandas nuptias, ut loquitur Gratianus? Atque hæc pro defensione Gratiani; oportet quippe Catholicos Auctores, quantum possibile est, ab erroribus, maximè contra Fidem, vindicare.

285.
An copula
sive pars in-
tegralis con-
tractus, aut
Sacram.
Matr.
Bellarmi-
nus. Pon-
tius.

Si autem aliquis à me quærat; an copula, est non sit pars essentialis, saltem non sit pars integralis contractus, aut Sacramenti Matrimonii? Bellarminus (inquit Pontius supra n. 8.) lib. 1. de Matrimonio c. 5. in solutione 6. argumenti, existimavit, copulam, non quidem esse partem essentialem Sacramenti Matrimonii, sine qua ejus essentia constare non possit, esse tamen partem integram, qualis in Sacramento Pœnitentiæ est Satisfactio; additque, in hoc plures DD. Catholicos convenire, & esse veterum PP. sententiam, cum docent, inter B. Virginem, & Josephum, fuisse verum Matrimonium sine copula. Inquit itaque, Matrimonium ante consummationem esse quidem verum Sacramentum, & Matrimonium, imperfectum tamen donec consummetur. Ita Pontius.

286.
Quid de
hac re senserit
Bellar.

Sed reverà non videtur Bellarminum inspicere, multò minùs dispexisse. Quod ne gratis dicere videar, referam genuina verba Bellarmini; ait ergo:

Sed contra solutionem, Calvinus aliud ar-

gumentum profert. Est igitur 6. argumentum: Coitus pars Sacramenti est, nec sine eo Matrimonium Sacramentum est: ut habet Mag. lib. 4. Sent. dist. 26. & Grat. 27. q. 2. can. *Non est dubium*, & can. *Cum societas*: nam per eum figuratur conjunctio Christi cum Ecclesia per naturæ conformitatem, dum scilicet efficiuntur conjuges una caro. Ergo si à Sacramento non arcentur Sacerdotes, non solum à vinculo, sed nec ab ipso coitu debent arceri; aut certè, quod unum superest, Matrimonium Sacramentum non erit.

Addit ad idem comprobandum Calvinus, hoc acutissimum scilicet argumentum: In Sacramento, inquit, conferri gratiam Spiritus sancti affirmant: coitum tradunt esse Sacramentum: in coitu negant unquam Spiritum sanctum adesse. Quam ultimam propositionem ex Grat. probat can. *Conubia*. 32. q. 2. Ecce 6. argum. ad quod sic respondet Bellar.

De copula conjugali duæ sunt opiniones Catholicorum. Quidam enim docent; copulam illam neque Sacramentum, neque partem Sacramenti esse: sed actum solum, sive officium Matrimonii, proinde quid accidentarium esse respectu Sacramenti Matrimonii. Alii volunt; copulam conjugalem esse partem quandam Sacramenti, non quidem essentialem, sed integram, & idè ante copulam appellari ratum, sed non consummatum.

Omnes tamen in eo conveniunt, quod copula non sit pars essentialis: ut propterea Sacramentum Matrimonii totum ac plenum, quantum ad partes essentielles, inveniatur in contractu per verba de præsentia: quæ sententia est veterum PP. ut ex apertissimis eorum testimoniis perspicuum est.

Ambr. lib. de Inst. virgin. c. 6. *Non defloratio*, inquit, *virginittatis facit conjugium, sed pactio conjugalis.* Vide eundem lib. 2. in Lucam c. 2. Idem habet August. lib. 1. de Nuptiis & concup. c. 11. & lib. 2. de Consens. evang. c. 1. ubi docet, inter B. V. Mariam, & S. Joseph, verum conjugium, sine ulla carnali copula fuisse. Ad idem propositum alia quædam adducit ex Chrysoſt. Iuliano, Nicol. Papa, & Aliis Grat. 27. q. 2.

Ubi tamen observandum est, in eadem quæ allegari in contrariam sententiam Aug. & Leonem, can. *Non est dubium*, & can. *Cum societas*. Sed uterque locus sumptus est ex Epist. Leonis 92. ad Rusticum Narbonensem, & depravatè allegatur. Nam illa verba Leonis; *Cum societas nuptiarum sic ab initio constituta sit, ut præter sexuum commixtionem haberet in se Christi, & Ecclesiæ Sacramentum*, Grat. additâ negatione legit: *Cum societas nuptiarum sic ab initio constituta sit, ut præter sexuum commixtionem non haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum.* Sed emendandus est Gratiani

codex ex ipsa Leon. Ep. Eodem modo emendandus est textus Mag. lib. 4. dist. 26. ubi eadem loca, cum eadem depravatione habentur.

Esse autem veriorem lectionem, quæ caret negatione, patet; tum, quia ita habent omnes codices S. Leonis; tum etiam, quia illa negatio repugnat sententiæ S. Leonis. Ille enim docere intendit, concubinam non esse veram uxorem: ut autem hoc probet, non est opus ut ostendat, ad Matrimonium requiri commixtionem sexuum: illa enim commixtio in concubinato non deest: sed ostendere debet, quod etiam facit, Matrimonium non tam in copula carnali consistere, quam in fœdere nuptiali, in quo est Sacramentum Christi, & Ecclesiæ.

His præmissis, ad argumentum Calvinii respondeo; duo falsa ab ipso affirmari. Primum, coitum Sacramentum esse, vel talem Sacramenti partem, ut sine eo Sacramentum esse non possit: id enim falsum esse, testantur supra citati Patres. Neque obstat; quod per copulam significetur conjunctio Christi cum Ecclesia per naturæ conformitatem: nam non illa sola significatio Sacramentum facit, sed etiam significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia, vel cum quavis anima, per amorem spirituales. Quocirca si desit copula, significatio quædam deerit, non tamen omnis significatio, & idem conjugium illud, Sacramentum quidem erit, sed aliqua ex parte imperfectum, & non consummatum.

Ad illa loca Mag. & Grat. quæ Calvinus allegat, jam est responsum, loca esse corrupta: unde etiam Mag. & Grat. laborant in eorum explicatione. Sed nulla est difficultas, si Leonis Epist. consulatur. Hactenus Bellarm.

Qui utique Auctor, approbare videtur illam sententiam, quæ docet, copulam esse partem integralem Sacramenti Matrimonii; nupiam autem dicit, ut patet ad oculum, eam esse veterum PP. sententiam, sed tantum aliorum Catholicorum. Quomodo ergo verum est, quod ait Pontius supra: *Adiungo in hoc plures DD. Catholicos convenire, & esse veterum PP. sententiam?* Signum, quod Pontius Bellarminum non legerit; quomodo alioquin tam turpiter errasset?

Interim nullum Doctorem Catholicum pro ea sententia Bellarm. adducit; neque ulium (inquit Pontius supra num. 9.) allegare poterit. Licet enim Richardus in 4. dist. 26. a. 4. q. 3. & Alii dicant, integritatem Matrimonii perfectam esse, cum consummatur; non tamen dicunt pertinere ad integritatem Sacramenti.

Idem notavit Aversa hic q. 2. sect. 1. ibi: *Omnis tamen dicendum est, non inveniri in copula rationem hujus Sacramenti, neque copulam esse partem essentialem, aut integram ejus, fumendo, inquam, propriè Sacra-*

mentum, pro medio conferente gratiam. Ita omnes Theologi sentiunt, vel supponunt: nullusque alius occurrit, qui copulam vocaverit partem integram, nedum essentialem hujus Sacramenti. Et patet facile, quia nequam putandum est, per ipsam copulam dari ex opere operato sacramentalem gratiam, aut alium spirituales effectum: & quoties iteratur copula, dari ex opere operato aliud augmentum. Si autem copula esset pars essentialis Sacramenti, sequeretur, non perfici Sacramentum, nec dari gratiam donec sequatur copula. Vel si esset pars integralis, sequeretur, dari saltem aliquem alium spirituales effectum, nempe aliquod augmentum: sicut per Satisfactionem, in quantum est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, datur aliquis effectus ex opere operato, scilicet remissio temporalis pœnæ. Hactenus Aversa.

Sed nihil contra Bellarminum, qui nupiam dicit copulam esse partem integram Sacramenti Matrimonii, sicut Satisfactio est pars integralis Pœnitentiæ; neque ullibi adscribit copulæ effectum gratiæ, vel augmenti ejus ex opere operato; immo expressè negat, id sequi ex illa sententia, de qua controvertitur, ibi: *Ex qua sententia non sequitur, quod Calvinus sequi existimat, in coitu debere ordinari sacramentalem gratiam dari: gratia siquidem ex Catholicorum sententia tunc datur, cum conjuges per verba de præsentis Matrimonium contrahunt: tunc enim Sacramentum, quod attinet ad ejus essentiam, propriè ministratur. Hæc ille.*

Ac proinde si hoc necessarium sit ad partem integram Sacramenti, indubiè copula non est pars integralis. Si autem sufficiat aliquis alius effectus, & ille hic etiam reperitur, scilicet perfectior significatio unionis Christi cum Ecclesia per conformitatem seu unionem hypostaticam, & major indissolubilitas vinculi matrimonialis. Cur autem ille effectus non sufficiat, ut copula possit vocari pars integralis Sacramenti Matrimonii, si non reduplicativè, quâ Sacramentum est, saltem specificativè, id est, illius contractus, qui Sacramentum est?

Non dico: Sacramenti improprie dicti (quod etiam non dixit Bellarminus) pro signo conjunctionis hypostaticæ; quia (ut bene notat Pontius supra n. 10.) in hoc sensu copula non tantum est pars integralis, sed essentialis. Matrimonium enim, inquit, quâ significat unionem hypostaticam, est Matrimonium consummatum, quod in sua ratione copulam includit. Solum autem Matrimonium consummatum habere eam significationem, docuit Innoc. 3. in cap. *Debitum*, de Bigamis: unde infert, eum, qui duxit uxorem, quam non cognovit, & eâ mortuâ aliam ducit, non esse bigamum, quia non divisit carnem

H h nem

292.
An hoc sit
contra Bel-
larm.

Matrimo-
nium per
copulam
perfectius
significat

293.
Pontius

Solum Matr-
consumma-
tum signifi-
cat unionem
hypostati-
cam, ex cap.
5. de Biga-
mis. Et cap.
20. dist. 34.

nem in plures, & ex consequenti in illo non est defectus significationis unionis Christi cum una Ecclesia. Id quod etiam habetur cap. Valentino, dist. 34. Ergo sentit ad eam representationem copulam requiri, atque aded Sacramenti Matrimonii improprie dicti non est pars integralis, sed essentialis. Id quod docuit etiam Aureolus in 4. dist. 27. q. un. propositione 1. in fine. Hæc ille.

Aureolus.

294.

Non dico itaque, neque Bellar. dixit, copulam seu consummationem Matrimonii esse partem integram Matrimonii consummati; sed quæro, quare non posset dici pars integralis illius contractus, qui est Sacramentum Matrimonii, & significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, juxta illud Apost. ad Ephesios 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Est enim Matrimonium ratum, absolute & sufficienter ad rationem Sacramenti significet illam conjunctionem, per hoc quod significet unionem animorum per dilectionem; e quidem perfectius repræsentat illam conjunctionem Matrimonium consummatum; quia per copulam repræsentatur unio hypostatica, quæ major & indissolubilior excogitari nequit, & ideo per copulam accedit Matrimonio, seu vinculo ejus major indissolubilitas. Cùmque indissolubilitas sit quasi forma intrinseca Matrimonii, saltem ut contractus est, prout supra docuit Scotus, videtur quod illa copula aliquo modo pertineat ad perfectionem illius contractus.

Per copulam accedit major indissolubilitas.

Unde illa accedente dicitur Matrimonium consummatum; non quod per illam res primò tradatur; nam, ut ostendimus Conclus. 1. illa traditio fit per nudum consensum; sed quia accedente usu rei traditæ, traditio magis stabilitur; quod non ita habet locum in aliis contractibus, ubi per usum rei traditæ, nulla omninò perfectio eis accedit, ideoque talis usus neque ad essentiam eorum, neque ad integritatem spectat. Non ergo videtur improbanda doctrina, quæ asserit, per copulam accedere Matrimonio, seu vinculo Matrimonii aliquam perfectionem accidentalem, scilicet majorem representationem unionis Christi cum Ecclesia, ac etiam majorem indissolubilitatem.

Atque aded aliqua perfectio.

295.

Quid de hac q. sentiat Doct. Seraph.

Perplacet audire, qualiter ad hanc questionem: *Utrum carnalis commixtio sit de integritate Matrimonii, quantum ad signantiam & efficaciam,* respondeat Doct. Seraph. S. Bonav. Sic ait 4. dist. 26. a. 2. q. 3. n. 26. *Dicendum, quod integritas rei dupliciter accipitur, videlicet vel quantum ad esse necessitatis, vel quantum ad esse completionis sive plenitudinis. Si loquamur quantum ad esse necessitatis, verum est, quod Sacramentum Matrimonii esse habet sine commixtione carnis. Si autem quantum ad esse plenitudinis, sic est de ejus integritate, & sic procedunt rationes ad partes oppositas. Et hoc patet scilicet in Matrimonio enim considerantur hæc tria, scilicet licet signum, officium, & remedium. Quantum ad significationem dicendum, quod duplex est ejus significatio; significat enim conjunctionem Christi & Ecclesie per Charitatem, & conjunctionem eorumdem per naturæ conformitatem. Similiter duplex est officium. Unum enim est mutue educationis & fomenti, & aliud procreande prolis. Similiter duplex est remedium. Unum est quantum ad concupiscentiæ deflexionem, ut scilicet non ad omnem mulierem intendat. Aliud quantum ad inordinationem, ut scilicet non libidine, sed amore prolis, nec sine matrimoniali affectu mulierem cognoscat. Primum igitur signum, & primum officium, & primum remedium, sunt in Sacramento Matrimonii, quantum ad conjunctionem animorum. Secundum est solum, quantum ad conjunctionem corporum. Et primum est de substantia Matrimonii, quantum ad esse necessarium, secundum quantum ad esse plenum. Et sic patet responsio ad utramque partem, distinguendo perfectionem duplicem, sive duplicem integritatem, sufficientiæ & plenitudinis. Et secundum hoc distinguunt Jurisæ Matrimonium scilicet Matrimonium ratum, & Matrimonium consummatum. Quid ni ergo copula possit vocari pars integralis Sacramenti Matrimonii, sive contractus illius, qui est Sacramentum Matrimonii.*

dunt rationes ad partes oppositas. Et hoc patet scilicet in Matrimonio enim considerantur hæc tria, scilicet licet signum, officium, & remedium. Quantum ad significationem dicendum, quod duplex est ejus significatio; significat enim conjunctionem Christi & Ecclesie per Charitatem, & conjunctionem eorumdem per naturæ conformitatem. Similiter duplex est officium. Unum enim est mutue educationis & fomenti, & aliud procreande prolis. Similiter duplex est remedium. Unum est quantum ad concupiscentiæ deflexionem, ut scilicet non ad omnem mulierem intendat. Aliud quantum ad inordinationem, ut scilicet non libidine, sed amore prolis, nec sine matrimoniali affectu mulierem cognoscat. Primum igitur signum, & primum officium, & primum remedium, sunt in Sacramento Matrimonii, quantum ad conjunctionem animorum. Secundum est solum, quantum ad conjunctionem corporum. Et primum est de substantia Matrimonii, quantum ad esse necessarium, secundum quantum ad esse plenum. Et sic patet responsio ad utramque partem, distinguendo perfectionem duplicem, sive duplicem integritatem, sufficientiæ & plenitudinis. Et secundum hoc distinguunt Jurisæ Matrimonium scilicet Matrimonium ratum, & Matrimonium consummatum. Quid ni ergo copula possit vocari pars integralis Sacramenti Matrimonii, sive contractus illius, qui est Sacramentum Matrimonii.

Quia, inquis, vera ratio Sacramenti Matrimonii non constituitur in significatione ejus unionis; sed in significatione gratiæ sanctificantis animam.

Respondeo: etiam vera ratio Sacramenti Pœnitentiæ consistit in significatione gratiæ sanctificantis animam, & tamen satisfactio est pars ejus integralis, tamen non significet gratiam sanctificantem, sed solum remissionem poenarum purgatorii.

Dices: Satisfactio imponitur in ipso Sacramento Pœnitentiæ, & per illud elevatur ad suum effectum ex opere operato. Respondeo; jus, saltem radicale, ad copulam acquiritur in ipso Sacramento Matrimonii, & per illud copula elevatur ad significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia per unionem hypostaticam; nam copula fornicaria minime censetur habere talem significationem, alioquin induceret bigamiam, quod constat esse falsum. Itaque hæc questio inter Bellarminum, & Pontium, aliosque Auctores, magis est de nomine, quam de re, & ideo ulterius non est immorandum, quia de re ipsa satis constat ex jam dictis.

Porro dispiciendum sequitur; utrum ad essentiam Matrimonii non requiratur saltem ordo ad copulam, vel consensum in illam, explicitus seu implicitus; id est, an valide, & licite, ab initio Matrimonii jus proximum usus corporis possit separari ab ejus dominatione.

nio, ita ut conjuges non habeant jus proximum exigendi copulam, tamen habeant dominium corporis, & per consequens, jus re- motum seu radicale utendi corpore ad gene- rationem. Equidem Concluf. nostra affirmat, talem separationem validè & licitè fieri posse per legem, pactum, vel votum ex mutuo consensu; adeoque Matrimonium posse contrahi absque ordine seu proxima obligatione ad copulam, & sine consensu explicito vel implicito in copulam.

Dico: Proximà obligatione; quia remota seu radicalis obligatio, est ipsum dominium corporis, quod nequit ullo modo separari ab hoc contractu, cum essentia ejus, ut vidimus Concluf. 1. in translatione hujusmodi domi- nii consistat; quæ quo dominio oritur conjun- ctio animorum per dilectionem, & cohabitatio relicto patre, & matre, in qua conjunctio- ne & cohabitatione, videtur Hugo à S. Viçt. tom. 3. lib. de Mariae virginitate perpetua c. 1. constituitur principalem finem Matrimonii.

Immo docere videtur, Matrimonium ni- hil aliud esse, quàm illam societatem inter virum, & foeminam. Subscribo ejus verba: *Videamus igitur nunc, utrum mater Domini, & vera conjux esse potuit, & vera virgo permanere. Discutiamus (ut postulas) quid sit conjugium, & ex ejus diffinitione proposita consideremus, si simul esse potuerunt in Virgine matre, & con- sensus conjugalis, & propositum virginitatis. Quid enim est conjugium, nisi legitima societas inter virum, & foeminam: in qua videlicet societa- te ex pari consensu uterque semetipsum debet alteri? Debitum autem hoc duobus modis consi- deratur, ut scilicet, & se illi conferret, & se illi non neget. Conferret videlicet, ne post talem con- sensum ad alienam societatem transeat. Non ne- get, ut ab ea, quæ ad invicem est communi socie- tate, se non disjungat. Spontaneus ergo consensus inter virum, & foeminam, legitime factus, quo uterque alteri debitorem sui se spondet: iste est, qui conjugium facit. Et conjugium est ipsa societas, tali consensu federata, quæ altero vivente, alterum à debito non absolvit.*

Est ad huc alius consensus, scilicet carnalis commercii ad invicem exigendi atque reddendi, similem inter virum, & mulierem passionem constituens, comes, & non effector conjugii, officium, & non vinculum, qui & ipse tamen cum pari ab utroque voto suscipitur, pari etiam necesse est debito teneatur. Quod debitum in hoc quoque consensu dupliciter (sicut in priori commemoravi) exhibendum est: ut videlicet, uterque se alteri conferret, & neuter alteri se neget. Hoc est, ut sui corporis potestatem ad hoc opus, nec alii præbeat, nec illi contradicat. De illo debito, quo se & vir mulieri, & mulier viro debet conservare, ait Apost. (1. Cor. 7.) Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi. Si autem fuerit mortuus vir ejus, liberata est à lege vi-

ri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. De illo autem debito, quo se & vir mulieri, & mulier viro debet non negare, idem dicit: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Sed hujus debiti necessitas, illos conjugatos sibi ad invicem non subjicit, in quibus dum conjugium contraheretur vel sanciretur, hujus operis consensus non præcessit. Nec tamen hoc officio cessante, veritatem sive virtutem conjugii cessari credendum est: immò potius tamò verius & sanctius conjugium esse, quod in solo charitatis vinculo, & non in concupiscentia carnis, & libidinis ardore federatum est. Haec tamen Hugo.

Ubi notanda sunt duo (inquit Pontius l. 1. cap. 18. num. 11.) primum est, apertè dicere; ut confurgat obligatio aut vinculum reddendi debitum, necessarium esse consensum, vel tacitum, vel expressum, in copulam carnalem ex parte contrahentis, etiam si sit radicale jus. Si ergo non fuerit, cessabit profectò aliquis ordo ad copulam in ejusmodi conjugio ex parte contrahentium. Quid enim refert, corpus contrahentis esse potens, si ad copulam nequaquam ordinatur; sed ita voluntariè impeditur, ac posset impediri naturà ipsa? Itaque potentia corporis, quod traditur, si desit consensus aliquis, vel explicitus, vel implicitus, in copulam, comitatur tantum Matrimonii contractum, minimè tamen requiritur.

Secundò expende illa verba: *Solo Charitatis vinculo conjugium verum esse.* Quòd si solo vinculo charitatis, ergo hoc, & omni alio secluso, constare potest, atque adeò secluso etiam quovis ordine ad copulam. Si enim hic esset in Matrimonio, non constaret solo charitatis vinculo, & sine concupiscentia carnis, quam excludit Victorinus, quæ nihil aliud est Hugoni, quàm iste ordo ad copulam. Hucusque Pontius.

Ubi in primo Notabili fati apertè dicit, quòd in quolibet conjugio sit radicale jus ad copulam, adeoque aliquis ordo, saltem radicalis, five ex parte ipsius contractus Matrimonii. Quòd ergo dicit in Notabili secundo, constare posse Matrimonium, secluso quovis ordine ad copulam, intelligendum est de ordine ex parte contrahentium, id est, proximo ordine seu proxima obligatione ad copulam, quam solam videtur Hugo intellexisse per concupiscentiam carnis. Et per consequens, naturalis potentia corporis non tantum comitatur Matrimonii contractum, sed reverà ad ejus essentiam requiritur; quia per omne Matrimonium legitimum & verum, traditur jus radicale ad copulam; non potest autem tradi illud jus, ubi copula est impossibilis, ut latius dicemus, agendo de impedimento potentiaæ.

300.
Duo notanda in hac doctrina, ex Pontio.

301.
Examinan- tur.

Nonnulli Recentiores (inquit Pontius supra cap. 17. num. 12.) hoc loco referunt, Hugonem peculiarem in hac re sententiam secutum esse. Inquit enim, præcipuam causam seu finem Matrimonii & conjugii fuisse, ut vir, relicto patre, & matre, adhereret uxori suæ, non commixtione carnis, sed affectu charitatis, dilectionis, & habitationis. Postea verò adjunctum ei fuisse officium generandi filios in conservationem generis humani.

302.
Impugnatur
sententia
Hugonis.

Hanc sententiam iidem Recentiores impugnant. In primis; quia si essentia Matrimonii in sola conjunctione animorum per dilectionem, & habitationem consisteret, posset quidem inter fratrem & sororem, quin immò inter duos fratres jure ipso naturali esse Matrimonium; siquidem inter eos potest esse animorum societas in charitate ad perpetuam habitationem, quod videtur absurdum. Inter eos autem Matrimonium non aliâ ratione esse nequit, nisi quia hæc Matrimonii conjunctio suapte naturâ ad hoc est, ut filii generentur.

Deinde; quia si solâ animorum conjunctione, per charitatem, & habitationem, Matrimonium consisteret, verum non esset. Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ. Gen. 2. & Matth. 19. nam propter hujusmodi vinculum tantum, natura & charitas ipsa non prohiberent cum alio conjugii; quin potius ad manendum cum patre, & matre, & eos diligendos inclinaret, nisi talis esset conjunctio, propter quam jure optimo relinquitur pater, & mater.

303.
Sed perpetuam, ut existimat Pontius.

Denique, si vera esset opinio Hugonis, inter omnes religiosas mulieres inter se, & viros religiosos inter seiplos, verum Matrimonium & conjugium esset, quod est absurdum.

Ceterum ego existimo, longè aliam fuisse Hugonis sententiam, ille enim non loquitur de radicali jure, nec negat ex prima sua institutione id habere, sed tantum loquitur de consensu explicito ex parte contrahentis; negat enim, necessarium esse ejusmodi consensum ad veram rationem Matrimonii. Quare argumenta illa, Hugonis sententiam non impugnant. Hactenus Pontius.

Verè, an falsè, poterit Lector judicare ex his, quæ ex eodem Hugone subjicio. Quærit hic Auctor, ad quid conjugati debeant se sibi conservare, aut in quo non negare, si de medio tollatur procreatio prolis. Et respondet: Ecce quo pacto se voluntaria sponsionis

Hugo à S.
vid.

astringunt, ut abhinc & deinceps semper in omni sinceritate dilectionis, in omni cura sollicitudinis, in omni affectu pietatis, in omni studio compassionis, in omni virtute consolationis & fide devotionis, hoc uterque sit alteri, quod ipse sibi; ut quisque alterum, quasi unum secum factum

attendat, tam in bonis, quam in malis omnibus, sicut consolationis socium ac participem, in tribulationis & sufferentiæ individuum exhibeat. Postremò, quantum foris ad necessitatem corporis attinet, quasi propriam carnem fovendam excipiat: quantum verò spectat ad amorem cordis intrinsecus, quasi animum suum in pace & tranquillitate (quantum in se est) sine perturbatione custodiat. Sic enim fit in sanctæ societatis pace & communicatione quiescentibus; ut dum uterque non sibi vivit sed alteri, felicitas atque beatitudo uterque vivat sibi. Hæc sunt bona conjugii & felicitas castam societatem amantium. Ita Hugo.

Et si objicias: quòd Deus primo homini mulierem in adiutorium fecisse legitur; & quia sociata muliere cum viro, utrisque, ut crescerent, & multiplicarentur, terramque repleret præcepisse memoratur; postremò, quia à viro inter virum & mulierem carnis commixtio futura prophetaur: idcirco nulatenus conjugium esse possit, ubi quidem consensus carnalis commixtionis non fuerit.

Respondet idem Auctor: illa verba Genesim: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adheret uxori suæ, non esse intelligenda de adhesionem per copulam corporis, sed per copulam mentis, sive per dilectionem; hoc autem: Et erunt duo in carne una, de copula carnis. Secundum quid ergo (interrogat Hugo) relinquet homo patrem suum & matrem suam & adheret uxori suæ, nisi secundum illam singularem societatem, in qua semetipsum debet alteri? In qua homo affectum patris & matris non quidem deponit, ut affectum uxoris solum eligat, sed postponit affectum patris & matris: ut affectum uxoris illi præferat: ut eum non solum, sed singularem habeat. Non igitur de commixtione carnis, sed de affectu cordis & vinculo socialis dilectionis dictum est: Adheret uxori suæ. Ut per hoc quod dicitur: Adheret uxori suæ, Sacramentum conjugii, quod in spiritu est, intelligas. Per id verò, quod subditur: Et erunt duo in carne una, significum conjugii, quod in carne est, non patium fæderis conjugalis agnoscas. Relinquet ergo homo patrem suum & matrem suam, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una. Ecce hic est conjugium: Adheret uxori suæ; & hic est conjugii officium, Erunt duo in carne una.

Et aliquibus interjectis, sic concludit suam responsum. Vides nunc, quale & quantum Sacramentum præfert amor conjugalis; ut in hoc discat anima rationalis sui finis consortium sine sine eligere, & individuo illo amoris nexu, & singularis dilectionis paritate adherere. Hæc fuit principalis causa conjugii: propter quod Deus instituit, ut, relicto patre suo & matre sua, eligeret uxori suæ unice & singulariter, individua semper dilectione sociari. Huic autem societati ad commodum futuri generis multiplicandi, certi & rationalis Sacramenti causa, officium postea

postea generandi injuncti; non quidem, ut in eo conjugium consisteret: sed ut ex eo conjugium, & per obedientiam ministerii in merito cresceret, & per fecunditatem prolis fructuosius appareret. Restat ergo dicitur: Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhaerebit uxori suae. Et erunt duo in carne una: ut in eo, quod adhaeret uxori suae, Sacramentum sit invisibilis societatis, quae in spiritu facienda est inter Deum & animam; in eo autem, quod duo sunt in carne una, Sacramentum sit invisibilis participationis, quae in carne facta est inter Christum & Ecclesiam. Magnum igitur Sacramentum: Erunt duo in carne una, in Christo, & Ecclesia: sed majus Sacramentum; erunt duo in corde uno, in dilectione una, in Deo, & anima. Hucusque Hugo. Quae ergo ipsius mens, quae doctrina?

306. Existimo: consistere posse verum conjugium, absque ordine seu obligatione proxima ad copulam; & per consequens, absque ullo consensu, explicito vel implicito, contrahentium in copulam, absolute futuram; immo conditionate futuram; puta, si pars eam exigeret; quia potest pars privari per pactum, vel votum, jure proximo, quod alioquin ex vi Matrimonii haberet ad copulam exigendam; adeoque tali casu possum ego contrahere Matrimonium, cum animo nullatenus admittendi copulam, tamen si alia pars eam exigeret.

307. Atque hujus sententiae videtur etiam fuisse S. August. quando libro de Bono conjugali cap. 1. ait: Consequens est comexio societatis in filiis, qui unus honestus fructus est, non conjunctionis maris & feminae, sed concubitus. Poterat enim esse in utroque sexu, etiam sine tali commixtione, alterius regentis, alterius obsequentis, amicabilem quaedam & germana conjunctio. In quibus verbis Pontius supra cap. 18. num. 8. expendit 1. quod filios dicit honestum fructum, non conjunctionis, sed concubitus, id est, contractus celebrati in ordine ad concubitum, quasi dicat, filios esse finem, quem intendit Matrimonium cum ordine ad copulam. Ubi vides manifeste distinguere August. consensum in ordine ad conjugalem animorum conjunctionem, & consensum in ordine ad concubitum.

Sed quis revelavit Pontio, August. ibi per concubitum intelligere contractum, & non potius ipsam actuale copulam? Interim parum refert ad nostrum intentum, an hoc, an illud intellexerit August.

308. Expendit Pontius 2. dicere August. solam hanc animorum conjunctionem amicabilem & germanam, sine commixtione carnali, satis esse ad verum Matrimonium, hoc est, posse consistere veram rationem conjugii sine ordine ad commixtionem carnalem: eumque ejus esse sensum, satis constat ex illo verbo

Poterat; quasi dicat, etiam si nunquam ad commiscendum se carnaliter contraxissent, verè reperiri ratio Matrimonii posset in conjunctione animorum alterius regentis, & alterius obsequentis, ex contractu cum sextis diversitate. Hæc ille.

Sed responderi posset Primò: August. talem conjunctionem maris & feminae non vocatur. ^{Contra ar-} ^{guitur.} care ibi conjugium, sed dumtaxat amicabilem quandam, & germanam conjunctionem, quæ etiam invenitur inter fratres, & forores, parentes & filios cohabitantes. Deindè, non excludit à Matrimonio finem propagationis, sed addit etiam societatem, quia illa necessaria est pro bono prolis. Denique; 1y, Poterat, non necessariò intelligitur de facto, sive secundum præsentem institutionem Matrimonii, sed posset intelligi de possibili; hic autem quæritur, an sine ordine ad commixtionem queat subsistere Matrimonium, pro ut de facto institutum est in primis parentibus.

De quo utique Matrimonio sic loquitur D. August. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 3. Si autem queritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium (puta Eva) nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos &c. Et cap. 4. ac 5. Aut si ad hoc adjutorium gignendi filios non est facta mulier viro, ad quod ergo adjutorium facta est? Si quia simul operarentur terram, nondum erat labor, ut adjumento indigeret; & si opus esset, melius adjutorium masculus fieret: hoc & de solatio dici potest, si solitudinis fortasse radebat. Quando enim congruentius ad convivendum & colloquendum duo amici pariter, quam vir & mulier habitarent? Quod si oportebat alium jubendo, alium obsequendo pariter vivere, ne contrariæ voluntates pacem cohabitantium perturbarent: nec ad hoc retinendum ordo defuisset, quo prior unus, alter posterior, maxime si posterior ex priore crearetur, sicut femina creata est. An aliquis dixerit, de costa hominis Deum feminam tantum, non etiam masculum, si hoc vellet, facere potuisse? Quapropter non invenio ad quod adjutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahatur. Hæc August. Et notandum hunc librum esse posteriorem libro de bono conjugali, ut patet ex cap. 7. ubi eum allegat dicens: Unde quia satis differimus in eo libro, quem de Bono conjugali nuper edidimus &c.

Hinc facile quis responderi posset ad aliam auctoritatem D. August. ex eodem lib. de Bono conjugali c. 3. Bonum ergo conjugii, quod etiam Dominus in Evangelio confirmavit, non solum quia prohibuit dimittere uxorem, nisi ex causa fornicationis; sed etiam quia venit invitatus ad nuptias, cur sit bonum merito queritur. Quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem. Alioquin non jam

309. Ad quod adjutorium facta sit Eva, ex D. Aug.

310. Cur conjugium sit bonum, ex eod.

306. Quæ fuerit mens August. 307. Quæ sententia sit Pontii. 308. Quæ sententia sit Pontii.

diceretur conjugium in senibus, praesertim si vel amisissent filios, vel minimè gemisissent. Nunc vero in bono licet annofo conjugio, & si emarcuit ardor ætatis inter masculum & feminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum & uxorem: quia quanto meliores sunt, tantò maturius à commixtione carnis suæ, pari consensu se continere ceperunt, non ut necessitatis esset, postea non posse, quod vellent; sed ut laudis esset, primum noluisse, quod possent. Si ergo servatur fides honoris, & obsequiorum invicem debitorum ab alterutro sexu, etiamsi languescantibus & prope cadaverinis utriusque membris, animorum tamen vitæ conjugatorum tantò sincerior, quanto probator, & tantò securior, quanto placidior castitas perseverat.

311.
Verba ejus
expenduntur à Pontio;

In quo testimonio (inquit Pontius supra n. 9) in primis expendendum est, duos assignasse August. fines contrahendi Matrimonii, & liberorum procreationem, & ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem. Deinde, hos duos fines ita distinguit, ut non solum consideratione, sed & re ipsa separari & possint, & contingat; tum in his, qui suâ sponte, vel voto, vel proposito abstinere volunt à carnali complexu; tum in his, qui non sponte, sed natura cogente, utpote quorum sunt languida & cadaverina corpora, nec dare volunt operam rei uxoriæ, nec possunt. Possent ergo languida & prope emortua corpora inter se convenire ob solam naturalem in sexu diverso conjunctionem.

Præterea considerandum est; quamvis istos duos fines in Matrimonio distinguat D. Aug. ex ejus tamen verbis in hoc testimonio, satis aperte colligi liberorum procreationem non esse præcipuum finem, & talem, quo sublato, periret hujus ratio contractus; sed solam naturalem animorum in diverso sexu conjunctionem, in qua servetur obsequiorum invicem debitorum ab altero sexu, & honoris fides, esse præcipuum Matrimonii finem, quique ad essentiam firmitatemque Matrimonii requiritur: finem autem procreationis aliquando justè conjungi cum priori fine, aliquando verò deficere. Hucusque Pontius.

312.
sed perperam.

Qui utique, meo judicio, malè expendit hæc verba; nam August. expressè ibi agit de Matrimonio contracto in ordine, ad copulam, ut patet ex illis verbis: *Quia quanto meliores sunt, tanto maturius à commixtione carnis suæ, pari consensu se continere ceperunt.* Jam autem tale Matrimonium non subsistit in impotentibus antecederet, etiam secundum Pontium, ut infra suo loco videbimus, bene tamen consequenter, id est, in iis qui post contractum tale Matrimonium impotentes fiunt, sive suâ sponte, sive naturâ cogente, quod solum ibi dicit August. ostendens præter illum finem primum, quem à principio habuit illud Matrimonium, & jam desit esse, adhuc

restare alium finem, scilicet societatem. Ergo valet Matrimonium à principio contractum propter illum solum finem, hoc non colligitur ex illis verbis D. Aug. qui videtur ibi solum voluisse docere, Matrimonium esse indissolubile, sive proles nascatur, sive non, sive jam adhuc sint potentes generare, sive impotentes vel sponte, vel naturâ cogente.

Agit quippe de triplici bono Matrimonii, fidei scilicet, prolis, & Sacramenti, & consequenter de Matrimonio, quod ad illa tria bona ordinatur. Neque ullo verbo indicat, illam societatem esse finem primum Matrimonii, sed potius è contrariis: *Quod nisi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem.* Quasi diceret: præter primum finem, scilicet filiorum procreationem, alius finis esse potest, Matrimonii naturalis in diverso sexu societas, quæ tempore permanet, etiam cessante procreatione filiorum.

Immo hæc societas non videtur esse propriè finis, sed magis effectus, consequens obligationem matrimonialem; nam individua vitæ societatem in ordine ad copulam, quæ est essentia matrimonii, sequitur obligatio mutui obsequii, tanquam effectus necessarius ad conservationem illius societas. Et sanè non est dubium, quin etiam obligatio mutui obsequii separari possit per votum ab essentia matrimonii, ut patet in iis, qui mutuo consensu post matrimonium consummatum, proitentur Religionem. Idemque foret, si à principio matrimonii ante consummationem proterentur; nisi Ecclesia per professionem matrimonium non consummatum dissolvisset.

Nec video; quare non æquè esset matrimonium; si à principio conjuges cederent pro re suo ad cohabitationem, & alia obsequia, atque dum cedunt jure exigendi copulam. Sic enim sufficit radicalis obligatio ad copulam, ita etiam videtur sufficere radicalis obligatio ad cohabitandum, & alia obsequia præstanda. Hæc autem radicalis obligatio leve ad copulam, sive ad alia obsequia, sequitur necessariò ex translatione domini ipsius corporis, sine qua absolute non potest consistere matrimonium; sicuti non potest donatio alicujus alterius rei consistere, absque translatione domini istius rei, quamvis utilis possit varè impediri. Et nihil aliud intendunt D. August. & alii PP. quando docent, inter B. Virginem & Josephum verum constituisse matrimonium; absque ullo ordine ad copulam, aut consensu explicito vel implicito in illam.

Audiamus D. August. lib. 23. contra Faustum c. 8. *Neque enim quia concubitu non permixtus (Joseph) ideo non maritus.* Et postea: *U*

Matrimonia
non posse
contrahi sine
veritate nati-
vitalis.

Ut & Joseph Maria maritus diceretur, habens
eam conjugem non concubitu, sed affectu, non
commixtione corporum, sed copulatione, quod est
charius, animorum. Ac paulo post: Mariam
Joseph conjugem non frustratam appellatam propter
ordinem sexus & animorum confederationem,
quamvis ei non fuerit carne commixtus. Deni-
que in fine cap. Et ne homines fideles Christi id,
quod sibi conjuges carne miscerent, tam magnum
in conjugio deputarent, ut sine hoc conjuges esse
non posse, non crederent sed potius dicerent, fidelia
conjugia multo familiarius se adherere membris
Christi, quam potuissent imitari parentes Chri-
sti.

Porro lib. 1. de Nupt. & concupif. c. 11.
sic scribit idem S. Doctor: Quibus vero placuit
ex consensu, ab usu carnalis concupiscentie
in perpetuum continere, absit ut inter illos vin-
culum conjugale rumpatur, imò firmiter erit, quò
magis ea pacta secum inierint, que charius con-
cordatis que servanda sunt, non voluptuariis cor-
porum nexibus, sed voluntariis animorum affe-
ctibus. Mox: Conjug vocatur (scilicet V. Ma-
ria) ex 1. fide desponsationis, quam concubitus
nec cognoverat, nec fuerat cogniturus, nec perie-
rat, nec mendax fuerat conjugis appellatio, ubi
nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commix-
tio. Item lib. 2. de Consens. Evang. c. 1.
Hoc exemplo magnifice insinuat fidelibus con-
jugatis, etiam servata pari consensu continentia
posse permanere vocariq; conjugium, non permix-
to corporis sexu, sed custodito mentis affectu.

Ecce, inquit Pontius supra n. 10. in om-
nibus his testimoniis asserit August. veram
rationem conjugii, non solum sine usu con-
cubitus, sed etiam sine ullo ordine ad concu-
bitum. Et ut ex multis eorum clarè patet,
non solum contendit, posse post contractum
Matrimonium abstinere ab usu, manente
conjugio, sed etiam ante contractum posse
amoveri omnem ordinem ad concubitus, &
ita celebrari Matrimonium in naturalem
tantum vitæ conjunctionem, ut clarè patet
ex hoc postremo loco. Hæc ille.

Cui omnia sunt clara; fortè habuit valde
clara perpiscilia, quando hæc legit & scrip-
sit, quæ quia ego non habeo, haud equidem
clarè video, quomodo istud sequatur ex hoc
postremo loco, cum solum dicatur: Posse per-
manere vocariq; conjugium; non autem, posse
contrahi conjugium. Nunquid potest perma-
nere vocariq; conjugium, quando impo-
tentia copulæ, contracto Matrimonio super-
venit? Nemo dubitat. Porro posse contrahi
Matrimonium ab his, qui absolute & perpe-
tuò impotentes sunt, communior sententia
negat, ut proprio loco diffusius demonstra-
bimus; ergo saltem istud non est clarum ex
hoc postremo loco, quidquid sit de veritate
rei. Pontius supra c. 17. n. 7. ait: Scholastici
omnes in eo conveniunt, Matrimonium,

quavis contrahentium intentione seclusa, or-
dinem habere ad consuetudinem, & copulam
secundum carnem.

Quod sic explicat hic Auctor: In Matrimo-
nio, inquit, sicut in quovis alio contra-
ctu, in quo res datur, & accipitur, duo sunt.
Alterum est translatio domini, quæ est pote-
stas atque facultas utendi re illa: alterum est
usus ipsius rei. Prius est radix posterioris, &
ita ad illud suapte natura refertur. Sic igitur
in Matrimonio, cum sit contractus quidam,
in quo datur, & accipitur corpus pro corpore,
duo illa inveniuntur, nempe & translatio do-
minii corporum unius in alterum, quæ suapte
natura refertur ad usum & consuetudinem
conjugalem secundum carnem, tamquam fa-
cultas seu jus utendi corpore conjugis secun-
dum carnem, & usus ipse conjugalis sive copu-
la. Atque hæc translatio domini sive radi-
calis facultas ad utendum matrimonio, ita ut
si utatur, non accedat ad alienum corpus, nec
fornicatio, nec injustitia sit, est in quo con-
sistit essentia Matrimonii. Hæc ille.

Et verò si talem radicalem facultatem ve-
limus vocare ordinem aliquem ad copulam,
videtur certum, quod omnis contractus ma-
rimonialis dicat aliquem ordinem ad copu-
lam; & per consequens etiam contractus Bea-
tæ Mariæ cum Josepho, si verum fuerit ma-
rimonium; ut fuisse, docent D. August. cum
aliis SS. PP. & communiter Scholastici. Inter
quos Doct. Subt. sic scribit de hac materia 4.
dist. 30. q. 2. n. 2. Hæc sunt duo videnda. Pri-
mo, quia ita est; secundo, quomodo. Primum pa-
tet ex auctoritatibus Magistri, quas ponit in lite-
ra, & ratione congrua ad hoc; quia vel erat præ-
ceptum universale omnibus, qui erant in lege illa
de contrahendo Matrimonium, quod videtur;
quia pro benedictione erat fecunditas, & pro
maledictione sterilitas (patet ex multis locis Scri-
ptura) vel si non fuit præceptum generale, quod
patet ex hoc, quod Jeremias & Joannes Bap-
tista remanserunt virgines; tunc B. Virgini fuit
datum speciale mandatum de contrahendo cum
Joseph.

Et ad hoc possunt esse rationes congrue, quæ
accipiuntur ab Ambrosio super Luc. 1. ut scilicet
esset testis virginitalis Mariæ. Secundo ut etiam
ipsa non haberet occasionem mentiendi de virgi-
nitate sua: quia secundum Ambrosium occasione
mentiendi in desponsata habuisset, desponsata non
habuisset, ut sic tam testimonio, quam ex præ-
sumptione magis crederetur sibi de virginitate,
& de mirabili conceptione filii sui. Congruum
etiam fuit, ut sibi de virginitate crederetur, ne
notaretur infamis, quia non putavit Christus,
ortus sui fidem matris injuriis astruendam; scie-
bat enim teneram esse virginis reverentiam, &
lubricam famam pudoris: idè maluit Dominus
aliquos de suo ortu, quam de matris pudore du-
bitare.

317.

Seclusa in-
tentione con-
trahentium,
Matrimo-
nium dicit
ordinem ad
copulam, ex
Pontio.

318.

Contractus
B. M. cum
Josepho fuit
verum Ma-
rimonium,
ex Scoto.

Prima & 2.
ratio con-
gruentie hu-
jus Matr. ex
Ambrosio.

Ter.

319. Tertia ratio, ex Origene.

Tertiam rationem adjungit Doctor ex Origene, dicens n. 3. *Alia ratio, ut esset in obsequium virgini, & puero, sive in Aegyptum eunti, sive redeunti. Quam rationem tangit Origenes super illud Matth. 1. Cum esset desponsata.*

Quarta ex Ambrosio.

Sequitur quarta ratio, desumpta rursus ex Ambrosio: *Alia, inquit, ratio assignatur ab Ambrosio, ut diabolus falleretur.*

320. Alia duae rationes ex Scoto.

Sed haec ratio (subdit Scotus) videtur parvi valoris. Quomodo enim non posset diabolus videre virginitatem matris, si habuisset virum, sicut si non habuisset? Debet ergo intelligi, quod non potuit hoc videre, quia non fuit permissus, licet naturali potentia intellectus sui potuerit hoc videre. Nec tunc ista ratio videtur magni momenti, quia aequè fuisset prohibitus, si non habuisset virum.

321. An conjux possit à se abdicare jus utendi corpore.

Addit Scotus adhuc duas alias rationes congruentiae, hoc tenore verborum: *Alia rationes, quia Christus noluit incipere ab injuria legis, ne daret occasionem Judaeis & Herodi persequendi ipsam, cum parvis innuptae lege damnetur. Ne etiam virginibus, sinistra opinione viventibus, daretur velamen excusationis, quod ipsa quoque mater Domini infamata videtur. Iste videtur bona congruentiae ad propositum.* Hucusque Scotus de primo, scilicet: *Quia ita est, id est, quia B. Maria verum cum omni proprietate contraxit Matrimonium; adeoque transiit dominium corporis sui in Josephum ad utendum matrimonio, ita quod, si usus fuisset, non fuisset fornicatio, quia haec essentialiter dicit copulam cum non sua; per Matrimonium autem B. Maria facta fuerat sua. Neque etiam commisit injustitiam, nisi per adulterium amisisset jus utendi, vel per pactum aliquod justitiae illud jus à se abdicasset.*

322. Pro responsione autem ad istam rationem Almaini, notat Vasquez to. 2. in. 3. part.

Almainus,

Communis sententia affirmat.

Porro quod aliquis possit jus utendi corpore, à se abdicare, etiam pro perpetuo, stante legitimo Matrimonio, sive translatione domini corporis, hoc est, quod restat hic probandum; nam Almainus in 4. dist. 30. q. 2. §. *Dicunt alii*, impossibile videtur, ut quis habeat dominium alicujus rei, quin aliquo tempore aut modo ipsa uti possit, cum dominium sit potestas & facultas utendi; frustra autem videatur potestas & facultas, quae nunquam in actu prodire potest.

Sed, non obstante hac ratione, communis sententia affirmat, id posse fieri, & factum fuisse à B. Maria & S. Josepho; adeoque Matrimonium quod fuit inter ipsos nullatenus prejudicasse voto virginitatis B. Mariae, quod solum excludit consensum explicitum vel implicitum ex parte contrahentium in ipsam copulam, qualis non fuit neque in B. Maria, neque in Josepho, cum talis consensus nequeat stare cum expresso consensu in oppositum.

disp. 125. c. 7. n. 83. (quem sequitur Pontius supra n. 9.) duobus modis posse impediri usum alicujus rei, vel ex virtute justitiae, ita ut si quis eam utatur, peccet contra justitiam, vel ex alia virtute, ita ut usus illius non sit peccatum contra justitiam, sed contra aliam virtutem. Priori modo puto, inquit Vasquez, impossibile esse manere jus domini, ipso usu rei perpetuo & omnino impedito, & hoc plane convincit ratio facta pro sententia Almaini; quia frustra esset & inane dominium, facultas secundum justitiam utendi re aliqua, cujus usus impossibilis esset, nisi violata justitia; posteriori autem modo existimo, à principio transferri posse dominium corporis, impedito in perpetuum usu, & semel translato dominio, usum perpetuo impediti posse. Verum ita tunc manere impeditum, ut si quis ad uxorem suam accederet, ut matrimonio uteretur, non peccaret peccato fornicationis seu adulterii; sed tantum contra eam virtutem, ex qua promississet, se nunquam matrimonio usurum. Potest autem quis perpetuo usum matrimonii sibi impedire, vel ex sola fidelitate erga conjugem, promittens se nunquam debitum ab eo petiturum, vel ex fidelitate erga Deum, quae est Religio vovens castitatem: accedens igitur ad conjugem, peccaret non contra castitatem, neque contra justitiam matrimonii; sed contra fidelitatem promissionis erga conjugem, vel contra Religionem erga Deum. Haec ille.

Quae confirmat à simili dicens: Atque hoc modo videmus in nostra Societate, penes eos, qui tantum emisserunt tria vota substantialia Religionis simplicia post biennium, manere dominium suorum bonorum, perpetuo tamen impeditum ex voto paupertatis, ut non possint aliquare suam uti sine licentia Praepositi aut Rectoris, & ita, si quare uterentur, peccarent, non quidem peccato furti contra justitiam, sed peccato sacrilegii contra religionem, ratione voti prius nuncupati. Hucusque Vasquez.

Cujus certe doctrina satis placet, quam vis alioquin existimem fieri posse, ut in casu proposito accedens ad uxorem, ut eam utatur, peccet contra justitiam, non Matrimonii, quia peccaret peccato adulterii, utendo uxore aliena, quod clare constat esse falsum, quia per priorem contractum facta est propria; & ideo etiam excusatur à peccato fornicationis seu contra castitatem, quia fornicatio essentialiter est copula cum non sua; sed contra justitiam pacti, initi cum uxore de nunquam exigendo debitum; nam potest quis seipsum ad hoc obligare, non solum ex fidelitate, sed etiam ex stricta justitia; quae enim in hoc repugnantia?

Nonne adulter, vi opprimens propriam uxorem, facit ei injuriam, & peccat contra justitiam.

vo voto suo contrahere Matrim. Rejicitur a Scoto.

327. B. Maria vocat virginis solitudinem.

B. Maria fuit edocita, quod Ioseph nunquam peteret debitum.

328. Confirmat hanc sententiam Scotus duobus exemplis. Exemplum, inquit, istius potest haberi extra de Verb. signif. Exiit, & est hodie in 6. lib. ubi dicitur sententialiter, quod, retento dominio, concedere alius usum, non est inutile, quia usus ille necessarius est utentibus. Et a simili in proposito, si petatur, retento tamen usu, quia certum est, quia ab illo non petetur, non est inutile. Hoc tamen exemplum patitur calumniam, quia non ita videtur, quod usus possit reservari dominio tradito, sicut e converso, quia posterius magis traditur sine priori, quam e converso, sed quoad hoc, videlicet,

Sed hic modus non placet Scoto. Unde continuo atexit: Contra; in omni voto quantumcumque absoluto, videtur includi hęc conditio, Si Deo placet: quia nullus debet offerre aliquid Deo, veluti Deus vel noluit, neque ordinatè intendit sic offerre; ergo cum condicione ista, sic intellecta, stat absolute votum.

Dico ergo (prosequitur Doctor) quod absolute votum virginitatem, quod Sancti conjiciunt ex illo verbo sue interrogationis ad Gabrielem: Quomodo fiet istud quoniam virum non cognovisset, si enim solum non cognovisset, sine proposito nunquam cognoscendi, nulla esset questio: quia imposterum cognoscenda, si non esset sterilis, concepisset, & ideo fuit questio de modo supermirabili, quia firmissimè disposuerat seu voverat, nunquam se cognoscendam à viro, & ad hunc intellectum exposuit Angelus respondendo: Spiritus sanctus superveniet &c. Quomodo ergo potuit contrahere Matrimonium? Respondet; in contractu matrimoniali est mutua datio corporum ad copulam carnalem, non nisi sub condicione implicita, scilicet, si petatur. Unde contrahentes cum proposito statim vovendi castitatem, verè contrahunt: hæc autem conditio non præjudicat voto castitatis, posito etiam contractu Matrimonii, nisi illa conditio ponatur in effectu: ergo ubi est certitudo simpliciter, quod nunquam ponetur in effectu, ibi in nullo præjudicat voto castitatis contractus Matrimonii: sed hic fuit talis certificatio. Ex quo enim habemus Mat. b. 1. quod Angelus instruxit Ioseph: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, multo magis, immo indubitanter concluditur, quod ipsa per Angelum, vel immediate à Deo antequam desponsaretur, Ioseph, fuit certitudinaliter edocita: Noli timere accipere Ioseph virum justum in conjugem. Ecce enim Spiritus sanctus dabit eum tibi custodem & testem virginitatis, qui tecum pari voto contineat, & in multis tibi ad virginitatis custodiam congruentibus obsequatur.

Nec est mirum de ista probabilitate, quia quidquid factum est circa Ioseph per visionem Angelicam, totum factum est ratione Mariæ, quæ fuit immediata in illa ineffabili & mirabili conceptione, scilicet unigeniti Filii Dei.

Confirmat hanc sententiam Scotus duobus exemplis. Exemplum, inquit, istius potest haberi extra de Verb. signif. Exiit, & est hodie in 6. lib. ubi dicitur sententialiter, quod, retento dominio, concedere alius usum, non est inutile, quia usus ille necessarius est utentibus. Et a simili in proposito, si petatur, retento tamen usu, quia certum est, quia ab illo non petetur, non est inutile. Hoc tamen exemplum patitur calumniam, quia non ita videtur, quod usus possit reservari dominio tradito, sicut e converso, quia posterius magis traditur sine priori, quam e converso, sed quoad hoc, videlicet,

justitiam? Similiter vi opprimens propriam uxorem, statim post contractum Matrimonium, ante bi-mensem? Nemo est, qui dubitet; non quia utitur corpore alieno, aliàs enim peccaret contra castitatem, quod constat esse falsum; sed quia re propria abutitur, id est, utitur sine jure utendi, quoniam vel per legem, vel per particulare pactum, jure suo pro illo tempore privatus existit. Accipit ergo usum, qui non est suus, sed relictus in libera voluntate alterius, quâ libertate alter per oppressionem injustè privatur.

Ergo similiter in nostro casu, eo supposito, quod per contractum strictæ justitiæ, vir & mulier à principio Matrimonii pro perpetuo cesserint jure suo, quod alioquin ex contractu Matrimonii eis competeret, exigendi scilicet usum corporis; si vir per vim mulierem opprimat, & ei copuletur, facit ei veram injustitiam, tamen si utatur re propria. Enim verò dominium non definitur absolute & simpliciter: Jus extendens se ad omnem usum rei suæ, sed cum hac restrictione; Nisi lege prohibeatur; jam autem tali casu lex naturalis justitiæ prohibet talem usum. Sicuti ergo peccaret contra justitiam, qui equum suum alteri elocatum auferret, conductore invito, tamen si auferat rem propriam, quia privat ipsum jure justitiæ, quod habet ad usum equisita pariter in nostro casu, vir, opprimens mulierem, peccat contra justitiam, tamen si sit propria mulier, sive propria res; quia privat mulierem jure justitiæ, quod habet ad non reddendum debitum, sive ad non usum corporis, per alium contractum distinctum à Matrimonio.

Nec puto, quod Vasquez id negasset; quia solum loquitur de justitia Matrimonii, & castitate, interim admittit peccatum contra fidelitatem promissionis erga conjugem, vel contra religionem erga Deum; ergo similiter admittit injustitiam erga conjugem, si ex promissione existimasset oriri obligationem justitiæ.

Itaque non est omnino inutile, tradere dominium corporis, retento usu; & certum est, post contractum Matrimonium posse dominium istud ab usu separari, sive per votum simplex castitatis, sive per professionem Religionis, aut etiam adulterium alterius partis, nec tamen propterea remanet dominium inutile; quid ni ergo idem fieri possit, per pactum aliquod præcedens, aut concomitans ipsum contractum Matrimonii? Non video quid obstat. Et hæc viâ facillimè ostenditur, quomodo B. Virgo, salvo voto suæ virginitatis, potuerit contrahere Matrimonium cum Iosepho.

Alium modum proponit Scoto sup. n. 4. dicens. De 2. art. dicitur, quod B. Virgo voverat virginitatem sub condicione, scilicet nisi Deus aliter disponeret; & ideo licuit sibi Matrimonium contrahere.

et, quod alicui potest competere unum sine alio In proposito autem nec usum retinuit sibi auctoritate sua; sed certificata fuit, quod Spiritus sanctus usum illum retineret, ita quod nunquam ille alius, cui talis usus debebatur, exigeret.

329.
Rejicitur à
Vasquez ob
duplicem
rationem.

Ecce primum exemplum, quo non vult uti Vasquez supra n. 87. eò quod Nicolaus in eo capite non loquitur de usu juris, sed facti, qui competit Franciscanis in his, quæ pro eleemosyna ipsis tribuuntur. Hæc enim solum illis dantur ad sustentationem, non autem in omnem usum, sicut convivis ea, quæ in convivio apponuntur. Adde, inquit Vasqu. quod Scotus non potest rectè explicare, quo pacto B. Virgo tradiderit suum corpus retento usu, ex eo solum, quod novit, nunquam Josephum ab ea debitum petiturum: sic enim non esset usus impeditus, sed tantum ex voluntate non futurus: probabilius autem est, fuisse perpetuò impeditum. Hæc ille.

330.
Resp. ad 1.
ex Hiquæo.

Ad 1. Respondet Hiquæus in suo Comment. ad illum locum Scoti n. 22. Licet in præfata Decretali agatur de usu facti, tamen exemplum habet non parvam proportionem ad usum Matrimonii; quia sicut usus facti semper manet, donec revocetur à domino proprietario, ita libertas corporis sui manet conjugii, donec petatur debitum, non petenti non tenetur, quin etiam petenti multis casibus non debetur.

331.
Resp. ad 2.
ex eod.

Ad 2. respondet idem Auctor n. 23. certitudinem divinæ revelationis, quæ certificata est virgo, nunquam fore, ut peteretur, æquivalere impedimento; quia votum nihil aliud postulat, quam non consentire affectu & effectu in copulam; ad hoc autem sufficit certitudo revelationis prædictæ; quàmvis nullum esset impedimentum diversum. Neque necessarium fuit, ut Virgo conciperet dissensum respectivè ad conditionem impossibilem, qualis fuit petitio, supposita revelatione ejus nunquam secuturæ; nam tam votum, quàm materia subsistit independentè à tali dissensu. Ad salvandum ergo votum Virginis, & excusandum Matrimonium superveniens per contractum, sine præjudicio voti, sufficiebat illa revelatio, & certitudo ex ipsa, per quam excluderetur periculum violandi voti. Hæc tenus Hiquæus.

Adde, quod secundum Scotum Virgo fuerit certificata de non petitione debiti propter votum Josephi; adeoque de perpetuo impedimento; sic enim ait: *Ex quo enim habemus Mat. 1. quod Angelus instruxit Joseph &c. Ecce enim Spiritus sanctus dabit eum tibi custodem, & restem virginitatis, qui tecum pari voto contineat.* Atque hoc de primo exemplo Scoti.

332.
Secundum
exemplum
Scoti.

Alterum (prosequitur) exemplum, si quis contraxisset sponsalia cum juramento, & postea vorisset virginitatem, videretur consulendum illi, quod consummaret sponsalia contrahendo

de facto, ut servaret fidem juramenti: & tamen ut servaret votum, statim ante consummationem, deberet anelare ad Religionem: ergo isti licet dare potestatem sui corporis conjugii, vere contrahendo Matrimonium ratum, & tamen cum intentione nunquam dandi usum, quantum est ex parte sui, etiam sine hoc, quod sciat illum nunquam petiturum talem usum: ergo multo magis licet sic contrahere, si sciret nunquam prædictum conjugem petiturum.

Addit 3 exemplum dicens: Præterea, ad altera habet potestatem alterum conjugis; quia per Matrimonium fuit sibi data, & indefectibiliter, tamen non habet, nec habere potest usum corporis illius propter peccatum suum: ergo peccatum potest perpetuò prohibere usum, stante potestate data in Matrimonio; ergo multo magis Spiritus sanctus propter aliquam causam honestam hoc potest. Quod quidem exemplum in omnibus non quadrat, interim ostendit (quod unicuique est intentum Scoti) potestatem mutuam, quæ est in hoc contractu, posse subsistere sine usu subsequente, vel eo impedito per obligationem altioris finis, & virtutis; ac proinde contractum posse intri sine usu corporis, aut proxima ad illum obligatione, impedita per obligationem altioris finis, & virtutis; prout contingit in Matrimonio B. Virginis cum Josepho; nam hoc à Deo specialiter ordinatum fuit in finem altiore servandæ castitatis, & Incarnationis, sive ut medium consequens, sive ut antecedens, juxta diversas sententias.

Itaque Matrimonium Virginis, supposito voto absoluto virginitatis, fuit licitum & legitimum, quàmvis usus copulæ fuerit impeditus. Primò, cedente parte jure suo per simile votum, aut absque voto. Secundò, quia perfectius attingit finem, etiam generaliter contractus Matrimonii, id est, procreationem proles per altiora media, & efficaciora, quàm erat copula carnalis. Tertio, quia, ut itatum dictum fuit, ordinatum fuit ex Dei voluntate speciali ad Incarnationem, ut medium congruum antecedens, vel certè consequens, juxta varias opiniones. Quarto, quia ordinatum est in finem communem Redemptionis generis humani. Quintò, quia substantia contractus in eo perfectissime salvatur, etiam respectivè ad finem primarium, scilicet propagationem seu procreationem proles modo jam dicto. Ergo nihil ei obstat.

Ex quibus ulterius deducitur, votum virginis perfectissime salvari sine ullo ordine ad copulam in voluntate expressa vel implicita. Et in hoc excedit D. Vitalis, qui contrahunt cum animo non consummandi Matrimonium; quia in his, sicut regula contrahendi est illa, quæ est communis legis & institutionis Matrimonii, ita etiam contenti in contractu, tacitè consentiunt in finem ejus lege & institutione præscriptam, quia

quia hic est accessorius ad ipsum contractum, seu consequens ex natura contractus, & subest legi generali, quæ respicit finem, ut per medium naturale copulæ attingi potest, & non aliter; quia ordo ad finem importat respectum ad media.

Matrimonium autem Virginis, ex Dei speciali ordinatione, & per virtutem Spiritus sancti, ordinatum fuit in finem per media supernaturalia & specialia, quæ excludunt ex natura sua propagationem naturalem, per quam debitum proximum aut remotum labis originalis incurritur, à quo ex modo natiuitatis in utero Salvator mundi debuit esse immunis: in Matrimonium autem consensit Virgo, ut his mediis supernaturalibus & Dei institutioni speciali innitebatur, ad eoque consensus ejus nequit, etiam tacite, seu in radice, respicere copulam: consensit enim in Matrimonium suppositâ Dei revelatione, & providentiâ speciali circa illud, quod contrahere voluit ex Dei mandato, & prout ordinabatur in finem servandæ etiam puritatis virginalis. Ita ferè Hiquæus sup. n. 33. & 34.

Atque hoc modo intelligo illa verba Doct. nostri supra: *Certificata fuit, quod Spiritus sanctus usum illum retineret*, quia videlicet Virgo non propriâ auctoritate, sed ex speciali instinctu Spiritus sancti illum retinuit. Quod verò addit: *Ita quod nunquam ille alius, cui talis usus debebatur, exigeret*, sic explico: Matrimonium regulariter, sicut transfert potestatem corporis, ita etiam fundat jus ad copulam ex natura communi hujus contractus in specie, ad eoque, donec præcessisset certitudo revelationis, nunquam fore, ut usus sequeretur, Virgo non potuit contrahere, supposito voto absolutæ virginitatis: revelatio ergo illa hunc etiam effectum habuit, ut Matrimonium separaretur ab usu, sicut & consensus. Undè neque Virgo tacite consensit in copulam, ex eo quod præcisè consensit in contractum, neque etiam consensit in contractum, ut inducit obligationem copulæ, non impeditam.

Perperam igitur impugnat sententiam Scoti Pontius sup. c. 18. n. 6. dicens: Cùm votum esset de re, Deo absolutè grata, non potuit sub conditione, nisi Deus relaxaverit, consentire; aliàs concedi posset, firmiter apud se statuisse, reddere debitum Josepho penitenti, nisi Deus relaxaret, quod indignè asseritur de B. Virgine. Hæc ille.

Sed videtur hic Auctor limis oculis legisse Scotum, aliàs ex verbis, supra allegatis, clarè vidisset, nullam talem voluntatem debuisse esse in B. Maria. Nam Scotus dicit, ut vidimus, eam fuisse certificatam divinitus, quod nunquam exigeretur debitum; ergo potuit absolutè velle, nunquam reddere debitum, cùm sciret Deum in suis decretis esse immutabi-

lem. Neque indignum est dicere, quod si Deus usum Matrimonii præcepisset, Virgo voluisset obedire, immò id omninò dicendum est: quia tamen Virgini constabat, Deo placere, ut perpetuè virginitatem coleret, & quæ Deo semel placent, ampliùs displicere non possent; neque explicitam neque implicitam debuit habere voluntatem copulæ, tametsi sine dubio habuerit explicitam voluntatem adimplendi omnia præcepta divina.

Sed dicit aliquis: Virgo contraxit Matrimonium, antequam filius Dei incarnatus esset, sive antequam cognosceret Mysterium Incarnationis; ergo consensit in contractum, ut lege communi, & institutione tenet: ergo consensus ille fuit tacitus in copulam.

Respondetur in primis: quidquid sit de Antecedente, negando primam Consequentiam; quia Virgo consensit in illum contractum, prout suberat speciali Dei voluntati, illud ordinantis ad altiorem finem, citra præjudicium voti, aut dispensationem in ipso. Neque refert, quod tunc, quando consensit in Matrimonium, ille finis fuerit ignotus Virgini in specie, sicut & Incarnatio subsecuta; quia eo ipso, quod consensit in Matrimonium, sine præjudicio voti, & ex speciali revelatione, & voluntate Dei, consensit in illud, prout suberat his, & juxta finem ad quem Deus illud ordinaverat. Hic autem finis excludebat ex natura rei, seu ex intentione ordinantis Dei, ipsam copulam; ergo ex consensu in contractum ad hunc finem specialem præordinatum, non sequitur consensus in copulam, nequidem tacitus.

Respondetur 2. satis probabile est, Matrimonium Virginis fuisse post Incarnationem, ut videre est apud Vasq. to. 2. in 3. part. disp. 125. c. 8. Et putat Hiquæus supra n. 27. illam fuisse sententiam Scoti, quando contra Aliquorum opinionem statuit, Virginem absolutè vovisse castitatem ante Matrimonium, & hoc probat ex responsione ejus ad Gabrielem: *Quomodo fiet istud &c.* quæ probatio fuisset insufficientis, si Annuntiaro fuisset subsecuta Matrimonium, cùm apud Omnes constet, tunc fuisse votum absolutum.

Huic sententiæ, inquit idem Auctor n. 28. favet traditio, quam refert Nyssenus, quæ docet, Virginem post sponsalia remissam esse in domum paternam. Quam sententiam sequitur Baronius in Apparatu. Eam videtur tenere Tertullianus de Velandis Virg. c. 4. dans rationem, cur Angelus appellet Virginem mulierem, eò quod desponsata, quodammodo nupta erat. Ambrosius de instit. Virg. c. 6. in illa verba: *Antequam convenirent &c.* Matth. 1. *Neque illud, inquit, moveat, quod ait (Evangelista) quia Joseph accepit conjugem suam; desponsata enim viro, conjugis nomen accepit; cum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen assequitur &c.* Initiatum autem per

Li 2 spon-

338. Objectio.

Solutio.

339.

Secunda solutio, probabiliter Matr. Virginis fuisse post Incarnationem, ex Vasquez & Hiquæo.

340.

Favet traditio apud Nyssenum.

Baronius.

Tertullianus.

Ambrosius.

Origenes.

Hieronymus.

Maldonat.

341.
Probatur ex circumstantia literæ.

Sponsalia de futuro Origenes etiam & Hieronymus idem docent. Vide Maldonatum in Mat. 1. qui alios Patres pro hac sententia citat.

Et ex circumstantia literæ videtur probari: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens &c.* Hæc convenientia non fuit copula, aut consummationis matrimonii, ut Omnes concedunt; ergo fuit cohabitationis & contracti matrimonii, aliàs si fuisset matrimonium ante contractum, jam ex more transferebat in domum mariti: ergo tantum videtur convenisse Josephum ad matrimonium. Hucusque Hiquæus.

Qui si attentè legisset Homil. S. Hieronymi, quæ recitatur in officio matutino Vigiliæ Nativitatis Domini, non potuisset ignorare, hunc sanctum Doctorem Ecclesiæ per conventionem intellexisse, non contractum matrimonii, sed ejus consummationem: sic enim ait: *Antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Non ab alio inventa est, nisi à Joseph, qui per licentiã maritali futura uxoris omnia noverat. Quod autem dicitur: Antequam convenirent; non sequitur ut postea convenerint, sed Scriptura, quid factum non sit, ostendit. Ut ut sit de hac probatione Hiquæi, sufficit ad propositum nostrum, illam sententiam verè esse probabilem, ut videre est apud Omnes, qui de hac rescripserunt.*

342.
Primum arg. contra Matrim. B Virginis, ex c. 2. 17. q. 1. & c. 41. ead.

Transeo itaque ad argumenta, quæ Scotus supra n. 1. adducit contra veritatem hujus matrimonii, sive ante Incarnationem, sive post eam contracti. Arguit 1. ex Decret. Grat. 17. q. 1. c. 2. *Voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle, damnabile est.* Quod ibi refertur ex Hieronymo. Et idem ferè refertur ex D. August. lib. de Bono viduitatis c. 8. refertur, inquam, 27. q. 1. cap. *Nuptiarum bonum* 41. ibi: *In conjugali quippe vinculo, si pudicitia non conservatur, damnatio non timetur. Sed in virginali & viduali continentia, excellentia muneris amplioris expetit, quæ expetit & electa, & voti debito oblata, jam non solum capescere nuptias, sed etiam si non nubant, nubere velle damnabile est.*

Resp. Scoti.

Respondet Scotus supra n. 7. *Quod illa auctoritas debet intelligi de volentibus nubere secundum communem legem: non autem de illis, quibus constat certitudinaliter, quod nunquam usus, sequens talem actum, petatur.* Intelligitur itaque de voluntate nubendi, cum voluntate Matrimonium consummandi, quæ regulariter conjuncta est. Atque hoc esse intentum S. August. patet manifestè ex toto contextu istius capituli.

343.
Secundum arg. ex Num. ult. Luc. 2.

Arguit Scotus 2. Num. ult. habetur, quod mulieres debebant nubere viris suæ Tribus: ergo Maria secundum legem non potuit nubere, nisi viro de Tribu tua: sed Joseph erat de Tribu Juda, sicut habetur Luc. 2. *Eò quod esset de Tribu & de domo David: Maria autem*

erat de Tribu Levi, quia cognata Elisabeth, Luc. 1.

Respondet Doctor supra: *Potest dici, quod illa lex fuit data propter filias Salphaad: & licet ne transferretur possessio de Tribu in Tribum, ut patet ibidem Num. ult. Ergo non obligavit, nisi mulieres illas, ad quas devolvebatur hæreditas paterna; sicut ad illas devoluta fuit patre maritimo. Maria autem non fuit sic hæres, idcirco sibi nubere alteri alterius Tribus.*

Hæc responsio, ut bene notat Hiquæus supra num. 36. duo continet. Primum est interpretatio legis Num. ult. Secundum est, Beatam Virginem non fuisse hæredem, idcirco que ei licuisset nubere alteri diversæ Tribus. Quantum ad primum, Lyranus noster & Abulensis docent, legem fuisse universalem, & non solum respectivè ad eas mulieres, quæ succedebant in hæreditatem, deficientem prole mascula. Cæterum quæstio mota, & ratio legis de non committenda hæreditate interpretantur legem, sicut & exempla. Num David duxit Michol filiam Saul ex Tribu Benjamin, & filiam Regis Gethsari, 2. Reg. 3. Mahalon & Chelion duxerunt Machabædas uxores. Ruth. 1. Booz duxit Ruthidem cap. 4. Deut. 21. permittitur iuxta ducere alienigenas virgines, dummodo non sint Chananæ; & Jud. ult. jurant reliquæ Tribus, se non daturas filias suas nuptiis Benjaminis. Undè aliàs id potuisse colligunt.

Textus etiam Hebræus favet huic interpretationi, qui specificat feminas, ad quas devolvebatur hæreditas: *Et omnia, inquit, femina, hæreditans hæreditatem, nubet viro ex Tribu sua.* Ita Chaldæus & Septuaginta. Eam sequitur Cajet. Vatablus, Burgen. Olearius. Philo Judæus lib. 2. de Monarchia alicuius Tribum Sacerdotalem & Regiam, quæ erat Tribus David, fuisse commixtam. Exemplum adducit Aaron, qui duxit Elisabeth filiam Aminadab, qui fuit Princeps Tribu Juda, & sororem illius Naalon. Item Jojadas Pontifex duxit Elisabeth, sororem Ochosisæ Regis Juda, & filiam Joram. Ita Hiquæus de primo puncto, quod tangitur in illa responsione Scoti.

Secundum autem punctum, scilicet Mariam non fuisse hæredem, non subsistit, quia quidem Auctor num. 37. quia parentibus grandævus nata est, quibus constat non fuisse ullam prolem masculam, juxta communem sententiam, immò neque aliam præter solam Virginem, ut fusiùs probat Baronius in Apparatu.

Et verò si licuit Mariæ nubere alteri alterius Tribus, jam Christus non esset ex Tribu Juda, de qua constat fuisse Joseph, ut patet ex illo Mat. 1. *Joseph filii David nuptiæ &c.* Impugnatur id etiam ex præmissa lege, quæ statuit, feminas hæredes, quibus

fuit Virgo, non posse nubere extra Tribum & familiam suam. Rectè ergo colligitur, Virginem & Josephum non solum fuisse ex Tribu Juda, sed ex eadem etiam familia. Vide præfatum Auctorem loco citato, & num. 38.

Hinc Scotus non adhæsit præfatæ responsioni, sed aliam addidit, dicens: *Aliter potest dici, quod Maria fuit de utraque Tribu, scilicet Juda & Levi; de Tribu Juda ex parte patris; & de Tribu Levi ex parte matris. Siquidem Joachim descendit ex Natban filio David, sicut patet per Dam c. 15. ubi ponit genealogiam sanctæ Dei Genitricis: illa autem Anna præsumitur fuisse de tribu Levi, quæ scilicet fuit mater Mariæ, & per ipsam esset Elisabeth cognata Mariæ. Idud etiam primum de cognatione Jude probari potest per hoc, quod Evangelium dedit Christum fuisse de Tribu Juda, deducendo Joseph ex illa tribu, quod non esset verum, nisi Maria esset de illa Tribu: & hanc rationem tangit Hieronymus super Matth. in principio.*

Hæc responsio (inquit Hiquæus supra num. 40.) est vera, & patet ex dictis, estque magis communis & recepta ab antiquis PP. quorum testimonium præferri debet. Vide hunc Auctorem loco citato, ubi plenius hanc rem discutit, quam necessarium est ad nostrum intentum, quod solum est, ostendere Virginem potuisse contrahere Matrimonium cum Josepho, salvo voto absoluto virginitatis.

Sed contra, & est tertia objectio Scoti. Contrahens Matrimonium in aliquod aliud consentit, quàm in cohabitationem: quia sic frater & soror possunt consentire: ergo in carnalem copulam, quia nihil aliud videtur addere Matrimonium, super cohabitationem; sed in illam non poterat consentire, quia voverat virginitatem.

Respondet Doctor supra num. 8. *Ad ultimum patet ex 2. art. questionis; quia consensus iste est in traditionem potestatis corporum ad prolem procreandam, & per consequens in usum, si potatur; sed hoc fuit certitudo, quod nunquam usus iste à conjugè peteretur.*

Hæc responsio (inquit Hiquæus supra n. 42.) juxta dicta superius intelligi debet, ut traditio mutua corporum ad prolem procreandam, intelligatur convenire Matrimonio ex lege universalis & institutione; hæc etiam salvantur in Matrimonio Virginis, sed modo eminentiori, ut dictum est. Quod ergo addit Doctor: *Et per consequens ad usum &c.* intelligitur respectivè ad medium naturale procreationis, non autem ad medium supernaturale, quod in proposito fuit ex speciali Dei institutione, quæ Matrimonium hoc ordinatum est ad Incarnationem. Quod si sistatur in fine tantum universalis Matrimonii, usus ejus supponit petitionem partis, quæ in

proposito ex divina revelatione subtrahenda cognoscebatur, ita ut nunquam sequeretur ipsa petitio, neque usus matrimonii: adedque ex hoc etiam capite, matrimonium Virginis non derogabat ejus voto absoluto. Hæc ille.

Nec obstat jam dictis, quod legitur apud D. August. lib. 19. contra Faustum c. 26. non multum ante finem: *Matrimonium quippe ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat, quod vobis odiosum est.*

Respondetur enim: Augustinum istis verbis solum voluisse significare, illam mulierem, quæ, secundum errorem Manichæorum, non ad Matrimonii fidem, sed ad concupiscentiam habetur, dimitendam esse, quia potius assumitur ad fornicationem, quàm ad actum conjugalem. Patet ex verbis præcedentibus: *Verumtamen à vobis ex vestri erroris sacrilega vanitate, quero, cur displiceat dimittere uxorem, quam non ad Matrimonii fidem, sed ad concupiscentiæ crimen habendam esse censetis? Matrimonium quippe &c.*

Itaque, ut finem imponamus huic Conclusioni, dico rursus: ab initio Matrimonii validè, juxta ac licitè, posset separari jus proximum usûs corporis seu copulæ, à dominio corporis, per novum contractum ex stricta justitia, vel per votum ex mutuo consensu. Contractu posito peccat contra justitiam, qui cogit ad copulam, secus contra castitatem. Similiter si voto emisso cogit ad copulam, peccat contra religionem, secus contra castitatem; adedque omne Matrimonium dicit hæc ratione aliquem ordinem ad copulam, hoc est, excusat copulam à peccato fornicationis, quod nullatenus præjudicat virginitati, aut reverentiæ debitæ Virgini Virgini Beatissimæ Genetrici Dei Mariæ, tamen si dicamus, eam contraxisse verum Matrimonium cum Josepho.

Ex quo etiam deducitur: licet frater & soror possint se obligare ad cohabitationem, & mutua obsequia, nihilominus non subsistere inter illos Matrimonium; quia peccarent contra castitatem, si copularentur carnaliter, & non adulterarentur, si alteri nuberent, & ei carnaliter copularentur, cujus oppositum verum fuisse in Matrimonio B. Mariæ cum Josepho, & verum foret in omni alio vero Matrimonio, quod contraheretur cum pacto, vel voto, nunquam reddendi debitum.

Et idem dicendum, quando per legem Ecclesiæ separatur jus utendi corpore conjugis, v. g. in principio Matrimonii ante bimestrem, & per adulterium unius partis; quia nihilominus semper manet dominium corporis, etiam quoad copulam, quantum est ex parte contractus matrimonii, qui, ut diximus Conclus. 1. non est aliud, quàm consen-

349. Objectio ex Aug.

Diluitur.

350. Epilogus.

351. Quare non subsistat Matrim. inter fratrem & sororem, esse se obligent ad cohabitandum.

fus reciprocos maris & feminae, signo externo expressus, quo jus perpetuum tradunt in mutua corpora ad usum conjugalem. Jus, inquam, radicale sive dominium; ita ut nunquam, sine peccato adulterii, possint illum usum aliis concedere, & sibi mutuo debeant concedere, nisi aliquid aliud obset. Porro matrimonium dividitur in legitimum, ratum & consummatum, de qua divisione instituitur

CONCLUSIO X.

Matrimonium aliud legitimum, aliud ratum. Utrumque consummatur per commixtionem sanguinis, de se aptam ad generationem proles.

352.
Quod sit
Matr. legiti-
mum.

Matrimonium dicitur legitimum, quod contrahitur secundum leges seu quod legitimo consensu contrahitur; & tale est Matrimonium quod validè contrahitur ab infidelibus, id est, non baptizatis, sive aliquo habeant veram fidem, sive non.

Quod sit
Matr. ra-
tum.

Matrimonium ratum dicitur, quod est signatum Sacramento fidei sive quod legitime contrahitur à baptizatis; & idè significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per Charitatem. De eo sic loquitur Innoc. 3. cap. *Debitum*, 5. de Bigamis. *Fraternitati tuae duximus respondendum, quòd cum duo sint in conjugio, videlicet consensus animorum, & commixtio corporum: quorum alterum significat Charitatem, quae consistit in spiritu inter Deum, & justam animam: ad quod pertinet illud, quod dicit Apostolus: Qui adhaeret Deo, unus spiritus est cum eo.* Et cap. *Quanto*, 7. de Divortis. ibi:

c. 7. de Di-
vort.

Nam etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit: quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur; sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.

353.
Matrimo-
nium dicitur
ratum à
Baptismo, &
non à vera
fide.

Ubi per Sacramentum fidei manifestum est, Pontificem intelligere Baptismum, idque non solum in voto, sed re ipsa susceptum; nam hic solus est, qui ratione characteris semper durat. Ab hoc ergo, & non à vera Fide, Matrimonium dicitur ratum.

Aliàs Matrimonium catechumeni foret ratum, & si ante Baptismum resliret à Fide, altero conjugè converso & Baptizato, nolletque cohabitare sine contumelia Creatoris, non posset Baptizatus transire ad 2. vota, quod est absurdum.

Deinde, si ad Matrimonium ratum requireretur vera Fides, Matrimonium haeretici non foret ratum, adeoque dissolvi posset, si nollet cohabitare sine contumelia Creatoris;

cujus tamen contrarium docet Innoc. 3. supra cap. *Quanto*, ibi: *Si verò alter fidelium (id est, Baptizatorum) conjugum, vel labatur in haeresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non rati credimus, quòd in hoc casu, is qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare, licet in hoc casu major appareat contumelia Creatoris. Nam etsi &c. ut sup. Idemque definit Concil. Trident. sess. 24. can. 5. Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestiam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjugio, dissolvi posse Matrimonii vinculum; anathema sit.*

Tribuitur ergo Baptismo, re ipsa suscepto, quòd efficiat ratum Matrimonium, non autem Fidei. Et sic intelligendus venit D. Ambr. 1. Cor. 7. cum dicit: *Si autem ambo crediderint, per cognitionem Dei confirmat conjugium.* Et ibidem: *Non enim est ratum Matrimonium, quòd sine Dei devotione est.* Nominè enim, *Devotionis*, & *Credendi*, verbo, non Fidem utcumque intelligit; sed Fidem in Baptismo publicè professam.

Hinc quòd ait Sanchez lib. 2. disp. 1. n. 9. Ratum (Matrimonium) dicitur, quando est Sacramentum, non videtur in omni rigore verum, juxta infra dicenda; quia Matrimonium infidelium sit ratum, quando ambo convertuntur ad Fidem & Baptizantur, & tamen non fit Sacramentum; nisi per Sacramentum intelligas significationem illam Christi cum Ecclesia, per Charitatem seu levacrum regenerationis.

Sed nunquid idè Matrimonium insolubile, quia ratum; & idè ratum, quia insolubile? Respondeo affirmativè; si interrogatio intelligatur de insolubilitate extrinseca, quatenus cessat jam casus ille, in quo poterat dissolvi in baptizati favorem, si non baptizatus nollet cohabitare cum injuria Creatoris de quo plura suo loco.

Venio ad Matrimonium consummatum. Atque in primis certum est apud Omnes, Matrimonium non consummari per sola oscula vel tactus; immo nec per voluntariam pollutionem extra vas, arg. cap. *Extraordinaria*, 11. 35. q. 3. *Extraordinaria pollutio, non est in naturalibus admessa, vel scipiùs reiterata contra maritalem affectum, si praebeitis sacramentum, ita esse consistit, quem admodum nobis suis significatum est literis, non videtur Matrimonium impedire, quamvis ipsa sit criminosa & damnabilis.* Ubi Gloss. verb. *Impedire*: *Talis pollutio non debet impedire eum, qui possit ducere sanguineam illius, quia nec fecit sanguinis commixtionem nec carnis unitatem; adeoque ex illa non fuit orta affinitas, quae tamen oritur ex omni Matrimonio consummato.*

Itaque ad Matrimonium consummatum requiritur copula carnalis, per quam conjuges fiant una caro; nam ratione illius unitatis,

tis, Matrimonium consummatum dicitur significare mysterium Incarnationis, quo Christus per unitatem carnis est Ecclesie conjunctus.

Hinc Alex. 3. c. de Conuers. conjugatorum: Verum post consensum legitimum de presenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium (sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commixtio non interuenerit inter eos, & alteri remanenti (si commonitus continentiam seruare noluerit) licitum est ad secunda vota transire. Rationem subiungit: Quia cum non fuisset una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in saeculo remanere.

Idem colligitur ex cap. Lex. 18. 27. q. 2. ibi: Protoplastus ille radix, & origo nostra, de tractam sibi costam, in mulierem videns formam, propheticis spiritu inter alia protulit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Quibus verbis innotuit, non aliter virum & mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copula sibi cobæreant. Qui ergo nequaquam mixtus est extraneæ mulieri fadere nuptiali, quo pacto per nuda sponsionis verba possunt una caro fieri, nullatenus valeamus inueniri. Propinquitas enim sanguinis verbis dicitur, non verbis efficitur. Sed neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem. Ergo ut oriatur propinquitas, sanguinis commixtio requiritur; ergo consimiliter eadem commixtio requiritur ad matrimonium consummatum, ex quo omni & solo oritur propinquitas, ut videbimus agendo de impedimento affinitatis.

Ex quo infero cum Sanchio lib. 2. disp. 2. 1. n. 2. sufficere ad consummationem matrimonii, quod semen viri verè recipiatur in vas muliebres, sive viâ naturali cum penetratione, sive arte vel ope dæmonis absque penetratione, quia talis commixtio est apta generationi, & per illam fiunt una caro.

Sed hæc doctrina quæ communis est, & quam Sanchez supponit tamquam certam, videtur Pontio lib. 9. c. 10. n. 1. satis dubia, & multis scrupulis exposita, qui vix humano iudicio definiri possint. Utrumque requirem ego, & conjunctionem & seminationem intrâ vas; sed nec definitio. Hæc ille. Qui sint autem isti scrupuli non commemorat. Adedque propter illos scrupulos ignotos, non iudico recedendum à communi sententia, quæ saltem probabilis est.

Hoc verius est, non sufficere, quod vir penetret vas mulieris, nisi seminet; quia talis penetratio, sine seminatione, non est apta generationi, nec per illam vir & mulier fiunt una caro. Aliàs etiam per copulam sodomiticam consummaretur matrimonium, quod constat esse falsum.

Adde; quod non oriatur affinitas ex tali copula; quodque potissima ratio indissolubilitatis matrimonii consummati, ultra significationem mysterii Incarnationis, sit injuria prolis, quæ esse nequit sine seminatione. Et verò quis non videt, in tali casu nullam fieri sanguinis, id est, feminis commixtionem, quæ tamen requiritur, ut patet ex dict. cap. Lex?

Quapropter hanc sententiam longè veriorē existimat Sanchez suprâ n. 5. quamquam Aliqui sint, quos allegat n. 4. qui oppositum doceant. Primo; quia hæc videtur ipsis esse vera copula & commixtio. Sed responsio patet ex dictis, non esse veram copulam, neque commixtionem, cum per eam non fiant conjuges una caro, defectu commixtionis sanguinis seu feminis, cum supponatur non fuisse seminationem.

Secundò; quia cum dissolubilitas Matrimonii non consummati sit privilegium, concessum à Christo supra naturam Matrimonii rati, quæ est, ut fit insolubile, non debet ampliari, sed restringi, ut intelligatur Matrimonium consummatum, quando interuenerit carnalis conjunctio, etiam sine semine.

Respondetur; in hoc eventu non extendi privilegium, nisi ex mente ipsius Christi, qui noluit Matrimonium consummatum esse dissolubile, ratione suæ significationis, & damni prolis; unde de ea consummatione apertè intellexit, quæ apta est significationi, & proli suscipiendæ, qualis sola est, ubi semen intrâ vas recipitur.

Si dixeris, & est 3. fundamentum oppositæ sententiæ; una ex causis, ob quas Christus noluit concedere id privilegium Matrimonio consummato, fuit gratiâ evitandi damni, secuti sponsæ, quæ minus apta Matrimonio maneret; at non minus inepta maneret in hoc casu, quàm si vir feminasset, ergo &c.

Respondetur; illam quidem aliqualem fuisse rationem, potissimam tamen rationem esse, significationem, & damnum prolis. Et certum omnino est, sponsam magis ineptam manere, quando vir feminavit, cum tunc sit periculum prolis; adedque copula difficillimè possit occultari; cum tamen in casu proposito, alio modo possit facillè damno sponsæ occurrì. Et verò deberet occurrì, quando dolus intercessisset; quod si casu accidit, quia accessit animo consummandi, & non potuit propter debilitatem; vel quia impeditus est, eò quod aliquis supervenit, & ratione honestatis secessit ab uxore; vel quia in ipso actu Spiritus Sanctus Religionem inspiravit, & ita ante consummationem se retraxit; potest solvi Matrimonium, sine ulla injuria sponsæ quia vir usus est jure, quod habebat. Deinde, ex osculis, tactibus, & humilibus, etiam non leve patitur damnum sponsæ, & tamen per hæc non

359. Resp. ad r. rationem in contrarium.

360. Secundaria ratio.

Responsio.

361. Tertiaria ratio.

Respondetur.

non consummatur matrimonium, nec perditur privilegium intrandi Religionem.

362.
Quid sentiant de hac questione Doct. Angel.

Audiamus Doct. Angel. 4. dist. 41. q. 1. a. 1. quæstiunculâ 4. ad 2. *Vir*, inquit, & mulier efficiuntur una caro per commixtionem seminum; unde quantumcumque aliquis clausura pudoris frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur affinitas. Infero ergo: ergo non consummatur Matrimonium, quia, ut supra dixi, ex omni Matrimonio consummato contrahitur affinitas.

& Doct. Seraph.

Idem tenet Doct. Seraph. ead. dist. q. 1. ibi: *Respondeo dicendum, quod affinitas generaliter contrahitur per omnem coitum, in quo est commixtio sanguinum. Et ratio hujus est; quia affinitas non contrahitur nisi ratione unionis; tunc autem dicuntur una caro fieri, quando per commixtionem seminum fit consummatio illius operis. Si ergo aliter conveniant, sive contra naturam polluendo extra vias, illi usus deputatum, sive invadendo clausura, ita quod opus nescarium non consummatur, affinitas contrahi non judicatur.* Ac proinde nec Matrimonium contummandum; etiam sufficit ad contrahendam affinitatem.

363.
An sufficiat sola seminatio viri.

Ex his ulterius inferitur; probabiliter non sufficere solam seminationem viri; quia probabile est, illam solam non sufficere ad generationem; sin autem sufficiat, quod Multi probabiliter docent, tunc consequenter etiam sufficit ad consummationem Matrimonii. Et tunc per commixtionem seminum, quam videntur requirere jura, & DD. mox allegati, intelligi debet talis seminatio, quæ sufficit ad generationem, & quia ordinariè concurrunt semina utriusque conjugis, ideo secundum communem modum operandi seu generandi, jura & DD. illi appellaverunt seminationem, sufficientem ad consummationem Matrimonii; commixtionem seminum.

364.
Pontius existimat non esse attendendam seminationem mulieris.

Pontius lib. 9. c. 10. n. 1. putat nullatenus attendendam esse seminationem mulieris. Vide enim, inquit ille, quibus quantisque scrupulis, & dubitationibus exponeretur consummatio Matrimonii, si ea seminatio feminae attendenda esset. Nec refert (prolequitur) an sit necessarium semen mulieris ad generationem vel non; tantum enim hic attenditur ad consummationem, seminatio intrâ vas ejus, qui præcipuas partes in generatione habet. Hæc ille.

Respondeo: gratis id asseritur. Quod attinet ad scrupulos, in foro conscientia nulli orientur; quia facillè mulier scire potest, an seminaverit. In foro autem externo præsumitur seminatio ab utraque parte; sicut etiam quando constat penetrationem factam, quamvis à parte rei nulla fuerit facta seminatio; & meritò, cum puella deflorata maneat, & sine

remedio ferè vivere cogatur, inquit Pontius supra. Bene dicit, *Ferè*, quia certum est, quod puellæ defloratæ non cogantur vivere sine remedio, quando defloratio est occulta.

Finem imponet huic Conclus. resolutio hujus quæstionis; utrum Matrimonium consummetur per copulam præcedentem? Affirmant Aliqui apud Sanchez supra n. 12. & probant; quia Matrimonium sequens retrahitur ad copulam præcedentem, & illam ita confirmat, ut prolem ex ea habitam efficiat legitimam, cap. *Tanta*, Qui filii sint legitimi; ergo similiter confirmabit, ut censetur habita post Matrimonium, illud que consummet. Et confirmatur; quia cum id, quod incontinenti fit, videatur inesse, *Lecha*. vers. *Dicebam ff.* Si cert per. saltem ita erit, quando post copulam Matrimonium celebratur.

Sed dicendum est, inquit Sanchez supra n. 13. minimè consummari; quia Matrimonium solum consummatur per copulam Matrimoniale; illa autem fornicaria est. Item per cap. *Veniens*. de Sponsal. ubi probatur, ut sponsalia transeant in Matrimonium per copulam, juxta cap. *Is qui fidem*, de Sponsal. oportet, ut copula illa subsequatur sponsalia.

Nec obstat primum argumentum contrarium; quia quamvis illa fictio admittatur favore prolis, quæ non deliquit; æquum non est, eam favore fornicantium admitti, contra regulam I. *Sive hæditaria*, ff. de Negot. gest. ibi: *Sed ita scilicet hoc dicitur posse, si ipsa vitæ vel incendium, sine vitio ejus acciderit. Nam cum propter ipsam ruinam aut incendium damnandus sit; absurdum est, eum istarum rerum nomine, quæ ita consumptæ sunt, quidquam consequi.* Cum ergo in casu proposito conjuges peccaverint peccato fornicationis, propter quod damnandi potius sunt, absurdum foret, quod inde reportarent omnimodam indissolubilitatem sui Matrimonii.

Nec obstat etiam secundum argumentum, quia ea regula procedit per fictionem quoad juris effectus, & nusquam legitur, legem aliquid fingere in delinquentium favorem. Quare, inquit Pontius supra, si duo se fornicariè cognovissent ante Matrimonium, & postea satis consultum esset honori unius, Matrimonio contracto, posset jam alter ad Religionem transire, quasi nulla præcessisset copula, si aliud non obtaret; & ita consultus sæpè respondi. Loquor absolute; si enim copula præcedens fuisset ex fide data de Matrimonio contrahendo, nisi damnum illatum sufficienter reparatur matrimonio, vel femina consentiat, non potest ad Religionem transire. Hoc autem per accidens contingit, & non ratione consummationis. Hæc ille. Existimans utique, sententiam Sanchez esse certam.

Ego autem illi sententiæ oppono; odium potius esse, quàm favorem fornicantium, quòd Matrimonium per illam copulam foret consummatum; quia favor est, Matrimonium posse dissolvi per ingressum Religionis; ergo potius odium est, quòd per illam copulam Matrimonium consummetur, quàm favor, quia sic tollitur ille favor seu privilegium dissolubilitatis.

Ex quo videtur corruiere responsio Sanchez ad primum, & secundum argumentum Adversariorum. Et hinc fortè Pontius non est usus illis responsionibus, sed simpliciter, nullà factà mentione favoris & odii, dicit, hinc non habere locum retractionem, quæ sufficit ad legitimandam prolem; eo quòd hæc fictio juris non sit inducta ad hunc casum, sicut ad illum. Breviter in positivis non valet semper argumentum à paritate rationis; cùm ergo hæc retractio sit juris positivi, neutiquam extendenda est ad casum, in jure non expressum, nisi ad evitandum absurdum, quale nulum hic occurrit.

Et consimiliter responderi potest ad secundum argumentum Adversariorum; id quod incontinenti fit, videtur inesse in casibus, à jure expressis, aliàs non. Jam autem casus noster nulpiam à jure exprimitur, & valde differens est ab eo, qui exprimitur in jure, allegato ab Adversariis, ut patet ex verbis ejus, & toto contextu: *Quæsitum est de obligatione usi-*

rarum, quoniam numerus mensum, qui solationi competeat, transferat. Dicebam, quia pacta, incontinenti facta, stipulationi inesse creduntur, perinde esse, ac si per singulos menses certam pecuniam stipulatus, quoad tardius soluta esset, usuras adjecisset, &c. Ergo Matrimonium, quod contrahitur incontinenti post copulam, censetur inesse copulæ, qualis Consequentiæ?

Nunquid etiam benè sequitur: ergo illa copula non fuit fornicaria, quia jam tum inerat Matrimonium, & fictione juris erant conjuges? Sicuti ergo jus non potest facere, ut illa copula non sit fornicaria; sic etiam non potest facere, ut per eam Matrimonium consummetur, cùm Matrimonium non possit consummari, nisi per matrimonialem copulam, quæ de se licita est; nam Matrimonium consummatum supponit Matrimonium legitimum & ratum; hoc autem excusat à peccato copulam, ut apud Omnes indubitatum esse debet, & satis patet ex antè dictis.

His ita prælibatis de contractu Matrimonii, à Deo instituto in paradiso, tum in officium naturæ, tum in remedium concupiscentiæ (nam ex tunc Deus præviderat peccatum primorum parentum, seu statum naturæ lapsæ, in quo illud remedium erat necessarium pro concupiscentia, quæ orta est ex peccato) pauca hic subjiciam de eodem contractu, prout elevatus fuit à Christo in nova lege ad dignitatem Sacramenti. Erit itaque

SECTIO IV.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Congruum fuisse, ut Christus annexeretur rationem Sacramenti propriè dicti, seu collativi gratiæ sanctificantis, contractui matrimoniali, docet Scotus 4. dist. 26. q. 1. n. 2. ibi: *Quarta Conclus. Isti contractui donationis mutue* (loquitur de contractu Matrimonii) *aliquod Sacramentum annexi, congruum est, & ita factum est.* Et infra n. 11. *De 4. Conclus. sit hæc prima Conclus. Specialis. Contractui prædicto congruum est annexi collationem gratiæ, quia contractus prædictus est difficilis, cum ex eo nascatur obligatio valde difficilis, cujus difficultas conjuncta est honestati, ut probatum est prius: ad honestum autem, & difficile, congruum est gratiam conferri.*

Secunda Conclus. est hæc; Congruum est in aliquo signo sensibili, ad hoc à Deo instituto, regulariter conferri; quia ut dictum est supra in generali de Sacramentis dist. 1. expedit talia signa esse instituta pro statu isto.

Tertia Conclus. Expedit Sacramentum propriè dictum conjungi contractui prædicto. Pa-

ret ex duobus præcedentibus, quia signum efficax gratiæ tunc collatæ. Porro factum fuisse, quod congruum erat fieri, hæc Sectione edifero, eritque

CONCLUSIO I.

Contractui matrimoniali annexuit Christus Sacramentum propriè dictum Matth. 19.

Scotus suprâ sic scribit: *Hæc ratio Sacramenti annexa, difficultates novas videtur adducere; puta à quo, & ubi fuerit institutum? Quæ forma, qualiter una, quis minister, & qualiter unus, & quis effectus sit Sacramenti.*

De primo (prosequitur n. 12.) non potest dici, quod Sacramentum Matrimonii sit institutum in statu Innocentiæ Gen. 2. quia omnia Sacramenta habent efficaciam à passione Christi exhibita, vel prævisa: si autem status Innocentiæ

Kk ste